



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### **Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### **About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>



5  
v. 2  
ANNEX LIB.

Library of  
Princeton University.



English  
Seminary.

Presented by

37

Et den Johannes Grand  
Pastor de Dordrecht  
d. S. 1700



SELECTA  
P O E M A T A  
I T A L O R U M

QUI LATINE SCRIPSERUNT.

Curâ cujusdam Anonymi Anno 1684  
congesta, iterum in lucem data, unâ  
cum aliorum Italorum operibus,  
Accurante A. P O P E.

---

V O L. II.

---

L O N D I N I:  
Impensis J. & P. K N A P T O N.  
M D C C X L.

THE HISTORY OF THE

REIGN OF

CHARLES

THE SECOND

BY

J. H. BURTON

ESQ.

OF

THE

# P O E M A T A

Quæ in TOMO SECUNDO continentur.

## P A R S IV.

### E L E G I Æ.

#### ACTII SYNCERI SANNAZARII.

<b>A</b> D Lucium Crassum,	Pag. 1
Ad Joannem Pardum Hispanum,	4
Ad Amicam,	5
Ad Divum Jacobum Picenum,	7
De Studiis suis, & Libris Joviani Pontani,	9
In Dominae Natalem,	13
Ad Ruinas Cumarum urbis vetustissimæ,	14
Quod Pueritiam egerit in Picentinis,	16
Dies Genialis,	19
Ad Villam Mergillinam,	20
De mirabili urbe Venetiis,	23

#### JANI ETRUSCI.

Ad Amicam,	23
Cujusmodi cupit post vitam Tumulum,	25

#### TITI STROZÆ Ferrariensis.

Ad Annulum ab Amica datum,	26
Ad Amicam,	27

#### HERCULIS STROZÆ.

Amorem sibi celandum,	27
In Amorem,	30

F. MA-

(RC 196)  
2949  
073 V.2

444102

Digitized by Google



# CATALOGUS

F. MARIÏ MOLSÆ.

<i>Ad Henricum Britannia Regem uxoris repudiatæ nomine,</i>	31
<i>Ad Sodalem in morbo mortifero,</i>	37
<i>Ad Venerem,</i>	40

ANDREÆ NAUGERII.

<i>De Cupidine &amp; Hyella,</i>	42
<i>Ad Noctem,</i>	ibid.
<i>Ad Gelliam rusticantem,</i>	43

JO. JOVIANI PONTANI.

<i>Ad Bacchum,</i>	46
--------------------	----

ANGELI POLITIANI.

<i>De Ovidii Exilio &amp; Morte,</i>	ibid.
--------------------------------------	-------

LUDOVICI AREOSTI.

<i>De diversis Amoribus,</i>	48
<i>Ad Petrum Bembum,</i>	50

## P A R S V.

### O D Æ.

M. ANT. FLAMINII.

<b>A</b> D Agellum suum,	53
<i>Ad Eundem,</i>	54
<i>Ad Antonium Mirandulam,</i>	55
<i>Ad suavissimum Sodalem suum,</i>	56
<i>Catella ad Reginaldum Polum,</i>	57
<i>Ad Galateum Florimontium Philaletbem,</i>	59
<i>Ad Petrum Carnesecum,</i>	61
<i>Ad Franciscum Turrianum,</i>	62
<i>Ad Petrum Viperam,</i>	63
<i>Ad Ludovicum Becatellum,</i>	64
<i>In</i>	

# P O E M A T U M.

<i>In Hyellam,</i>	65
<i>Hymnus in Auroram,</i>	66
<i>In Hyellam,</i>	68

## JO. AURELII AUGURELLI.

<i>Gratiarum Convivium,</i>	ibid.
-----------------------------	-------

## SANNAZARII.

<i>Tumulus Maximillæ,</i>	71
<i>Ad Marinum Caracciolum,</i>	72
<i>Ad Ninam,</i>	73

## JO. JOVIANI PONTANI.

<i>Ad Fauniam,</i>	74
<i>Ad Eandem,</i>	75

## ANDREÆ NAUGERII.

<i>In Vancium Vicum Patavinum amœnissimum,</i>	76
<i>In Hyellæ ocellos,</i>	78
<i>In Auroram,</i>	ibid.
<i>Ad Venerem,</i>	80

## LUDOVICI AREOSTI.

<i>De Megilla,</i>	81
<i>De Julia,</i>	83

## PETRI CRINITI.

<i>Ad Marullum,</i>	85
---------------------	----

<b>NICOLAI ARCHII,</b>	<b>86</b>
------------------------	-----------

# CATALOGUS

## ANGELI POLITIANI.

<i>Puella,</i>	86
<i>Iambicum,</i>	90

## JO. BAPT. AMALTHEI.

<i>Daphnis,</i>	91
<i>Iolas,</i>	92

## JOHANNIS COTTÆ.

<i>Ad Lycorim,</i>	93
--------------------	----

## G. BUCHANANI.

<i>In Neæram,</i>	95
<i>Calendæ Maiæ,</i>	ibid.

## P. GERARDI VAXIS.

<i>Responsio ad superiora,</i>	97
<i>Aliud,</i>	98

## HONORATI FASCITELLI.

<i>In obitum Arfilli Medici &amp; Poetæ,</i>	99
--	----

## JOSEPHI PARLISTANEI.

<i>Descriptio adventantis Senectutis,</i>	100
---	-----

## HIERONYMI AMALTHEI.

<i>Ad Hermetem Stampam,</i>	101
<i>Ad Maximilianum Boemiæ Regem,</i>	102

PARS

# POEMATUM.

## P A R S VI.

### S Y L V Æ.

ANGELI POLITIANI.

<b>N</b> UTRICIA,	105
<b>R</b> USTICUS,	130
<b>M</b> ANTO,	149
<b>A</b> MBRA,	161

JACOBI SADOLETI.

<i>De Quinto Curtio,</i>	187
--------------------------	-----

PETRI BEMBI.

<i>Benacus,</i>	192
-----------------	-----

HIERONYMI FRACASTORII.

<i>Ad Joannem Baptistam Turrianum Veronensem,</i>	98
<i>Ver, ad Eundem,</i>	101
<i>Ad Danielelem Rhainerium,</i>	203
<i>Ad Joan. Matth. Gibertum,</i>	205
<i>Ad Margaritam Valefiam Navarræ Reginam,</i>	208
<i>Ad M. Ant. Flaminium &amp; Galeatium Florimontium,</i>	214
<i>Ad Franciscum Turrianum Veronensem,</i>	217
<i>In mortem Aliprandi Madrutii,</i>	220
<i>Ad Alexandrum Farnesium Cardinalem,</i>	221
<i>Ad Eundem,</i>	225
<i>Ad Julium III. Pont. Max.</i>	227
<i>Incidens,</i>	232
<i>Incidens, ad Jo. Bapt. Turrianum,</i>	233
<i>Hyems, ad Eundem,</i>	ibid.
<i>Incidens, ad Eundem,</i>	ibid.
	<i>Aliud,</i>

# CATAL. POEMATUM.

<i>Aliud,</i>	234
<i>Aliud,</i>	235

## BALTHASARIS CASTILIONII.

<i>Cleopatra,</i>	235
<i>Alcon,</i>	237
<i>Profopœcia Lud. Pici Mirandulani,</i>	242
<i>De Elisabetha Gorzaga canente,</i>	245
<i>Hippolyte Balthasari Castilioni conjugii,</i>	248
<i>De Paulo canente,</i>	251

## HIER. AMALTHEI.

<i>Ad Hyellam,</i>	252
<i>De Horologio pulchre,</i>	ibid.
<i>Ad Junonem,</i>	ibid.
<i>De Acone &amp; Leonilla,</i>	ibid.

SELECTA

S E L E C T A

P O E M A T A  
I T A L O R U M.

P A R S IV.

A C T I I S Y N C E R I S A N N A Z A R I I  
E L E G I Æ.

A D L U C I U M C R A S S U M.

**T**E fœcunda tenent saxosi rura Petrini,  
 Rura olim proavis facta superba meis.  
 Et Sinuessanas spectas, mea gaudia, nymphas,  
 Quique novo semper sulfure fumat ager.  
 Et modo miraris veteres in littore portus,  
 Nunc Liris gelidâ qua fluit annis aquâ.  
 Cunctaque felici figis vestigia curâ,  
 Observas Latiaë dum monumenta viæ.  
 At mihi Paganæ dictant sylvestria Musæ  
 Carmina, quæ tenui gutture cantat Amor.  
 Fidaque secretis respondet sylva querelis:  
 Et percussa meis vocibus antra sonant.  
 Nec tantum populos, nec tantum horrescimus urbeis,  
 Quantum non justæ sævitiam dominæ.  
 Hoc vitæ genus, hoc studium mihi fata ministrant:  
 Hinc opto cineres nomen habere meos.

Me probet umbrosis pastorum turba sub antris,  
 Dum rogat agrestem lacte tepente Palem.  
 Me rudis indoctâ moduletur arundine Thyrsis,  
 Et tam constanti laudet amasse fide.  
 Inde super tumulumque meum manisque sepultos  
 Tityrus ex hederâ ferta virente ferat.  
 Hinc mihi saltabit Corydon, & pulcher Alexis;  
 Damoetas flores sparget utrâque manu:  
 Fluminibusque sacris umbras inducet Iolas,  
 Dum coget saturas Alphefibœus oveis.  
 Non mihi Mæonidem, Luci, non cura Maronem  
 Vincere: si siam notus amore, sat est.  
 Quid feret Æacides nobis, quid cautus Ulysses?  
 Quid pius Æneas, Ascaniusve puer?  
 Ista canant alii, quorum stipata triumphis  
 Musa vagum è tumulis nomen in astra ferat.  
 At mihi tete avidis liceat vincere lacertis,  
 Osculaque optatâ sumere longa morâ.  
 Et liceat positâ mirari membra lucernâ,  
 Noctis & insolitas neçtere blanditias:  
 Atque manus, atque ora tuis componere in ulnis,  
 Teque meo lassam sæpe fovere sinu.  
 Sed quid ego, heï misero, ventosus inania fingo  
 Somnia, quæ forsân non feret ulla dies?  
 Felix, qui potuit duram exorare puellam,  
 Et capere optati gaudia conjugii.  
 Ille dies noctesque suos decantat amores,  
 Et recolit Veneris dulcia furta suæ.  
 Ille etiam liquido perfusus odore capillos,  
 Exercet tenerum nocte juvante latus:  
 Inque sinu dominæ primos reminiscitur igneis,  
 Quos leviter pennis aureus afflat Amor.

Nec

Nec cupit Æthiopum quæ canent vellera sylvis,  
 Nec quæ Sidonio lana cruore rubet.  
 Solus habet fuscis quicquid portatur ab Indis :  
 Solus habet ripas, aurifer Herme, tuas,  
 Et quascumque metit segetes fragrantibus arvis  
 Medus, & assiduo sole perustus Arabs.  
 Non auro aut gemmis miseri torquemur amantes :  
 Qui dominam poterit flectere, dives erit.  
 Dives ero ante alios, si te, mea vita, volentem  
 Sustineam ignotâ pauper & exul humo.  
 Nam quid rubra juvant fulgentibus æquora conchis ?  
 Aut quæ multa niger rura Sabæus arat ?  
 Quidve torus prodest, plumâ spectandus & ostro,  
 Si non est gremio chara puella meo ?  
 Si trahere infelix inter suspiria noctem  
 Cogor, & æternos esse, negare, Deos ?  
 Num me neglectis devovit saga sepulchris ?  
 Num rumpunt somnos carmen & herba meos ?  
 Carmen inaccessâ traducit ab ilice glandeis :  
 Carmen nocturnæ suppressit ora canis.  
 Carmen & informi pallentem sanguine Solem  
 Inficit, & Lunæ sistit euntis equos.  
 Quid queror infelix ? utinam mihi sola nocerent  
 Carmina, nec nostro pectore ineffet Amor.  
 Ille vel Æææ superat certamina Circes,  
 Ille vel Æmoniis nata venena jugis.  
 Parce puer : non vana queror : tu vulnere nostro  
 Crescis, & exsultas, sæve, cruore meo.  
 Quod si te nostræ ceperunt tædia vitæ,  
 Ne cesset, quæso, funeris atra dies.



## A D J O A N N E M P A R D U M,

## H I S P A N U M.

**P**ARDE, decus patriæ, spes maxima, Parde, tuorum,  
 Atque idem Hispani gloria rara soli ;  
 Quem juvat immensi causas exquirere mundi,  
 Primaque constanti corpora juncta fide ;  
 An magnum æterno volvatur numine cœlum ;  
 An propriâ hoc ingens mole laboret opus ;  
 Cur falsi fluctus ; cur ignibus æstuet Ætna ;  
 Cur vomat epotas vasta Charybdis aquas ;  
 Unde nitor stellis ; cur nox majorve, minorve ;  
 Cur non ipsa suo lumine Luna micet.  
 Felix, cœlestis cui fas nunc scandere sedes ;  
 In quæ post obitum fata manere sinant.  
 At nos per sylvas & sordida rura capellas  
 Versamus ; quando Phyllis amare jubet.  
 Et teneris nostros ulmis incidimus igneis,  
 Quos legat errantum coetus Hamadryadum.  
 Et nunc capreolos, & nunc venamur onagros :  
 Interdum sævas fallimus arte feras.  
 Sæpe juvat pictas visco captare volucres ;  
 Nec Satyris ipso cedimus aucupio.  
 Quod mihi si liceat tenui revocare cicutâ  
 Trinacrii niveas Upilionis oveis,  
 Rura colam semper : populi valeatis, & urbes :  
 Rura dabunt oculis grata theatra meis.  
 Illic gramineas, pastorum bella, palæstras  
 Adspiciam, & celeri præmia parta pede.

Nec

Nec me pœniteat sudibus certare coluſnis,  
 Aut armare cavis pectora corticibus.  
 Pugnabunt tauri, pugnabunt cornibus hirci :  
 Victores molli cespite ferta ferent.  
 Plenaque pellitus luſtrabit ovilia paſtor :  
 Ponet & agricolis ruſtica liba Deis.  
 Stabunt capripedes abiegno robore Fauni :  
 Stabit & indoctâ falce dolata Pales.  
 Quorum ſolenneis ictus cadet agnus ad aras,  
 Ictus ut innumeras expiet agnus oveis.  
 Tum milium & niveo ſtatuet fumantia lacte  
 Pocula, votivas concipietque preces :  
 Et ter tranſiliet flammanteis potus ariſtas,  
 Ter quoque non tardo ruſtica turba pede.  
 Dii facite, inter oveis, interque armenta canendo  
 Deficiam, & ſylvis me premat atra dies :  
 Ut me non doctâ deploret paſtor avenâ :  
 Utque ſub umbroſâ contumuler platano.  
 Oſſaque paſcentes venerentur noſtra capellæ ;  
 Nec procul à tumulo candida balet ovis.  
 Exſultent alii Panthæo munere manes,  
 Et quærant Pariis marmora cæſa jugis.  
 Mi ſat erit veteres reſcolat ſi Phyllis amores,  
 Conſerat & vernas ante ſepulchra roſas.

## A D A M I C A M.

**N** U L L A meos poterit mulier prævertere ſenſus,  
 Ipſa licet cœlum linquat & aſtra Venus.  
 Tu puero teneris ignis mihi primus ab annis ;  
 Ultima tu tremulo flamma futura ſeni.

Jam fanxere femel nos inter fœdera divi,  
 Fœdera ad extremos non foliûnda rogos:  
 Ut fi noſtra tuo ſupereſſet funere vita,  
 (Dii tamen in ventos omen abire ſinant)  
 Ipſe ego compoſito venerarer operta ſepulchro  
 Oſſa, ferens mœſtâ thura merumque manu.  
 Umbrarumque ſacer cuſtos, tumulique ſacerdos,  
 Concinerem querulâ triſtia verba lyrâ.  
 Nec me complexâ quiſquam divelleret urnâ,  
 Quin cineri moriens oſcula ſumma darem.  
 At ſi (quod potius cupio) tibi fata dediffent,  
 Lumina formoſâ condere noſtra manu;  
 Tunc, mihi cum charos vultus ſpectare liceret,  
 Atque animâ tecum jam fugiente loqui,  
 Ipſa meos tumulo manes laniata vocares,  
 Inque tuo legeres oſſa minuta ſinu;  
 Flebilis & longos ſcindens ad buſta capillos,  
 Clamares nomen jam moritura meum.  
 Tum cineri & mutæ perſolvens juſta favillæ,  
 Miſta dares rutilis lilia cana roſis.  
 Illic mœſta dies, illic conſumere nocteis  
 Optares, neo te vinceret alter Amor:  
 Sed memor uſque viri, canis veneranda capillis,  
 Adferres tremulâ munera chara manu.  
 O mihi, dum tales tumulo reddantur honores,  
 Tam lentam Lachefis ſcindat avara colum.  
 Non ut noſtra novos Arabum bibat urna liquores,  
 Uſtus & Aſſyrio ſpiret odore cinis;  
 Aut ut clara mei noſceſcat fama ſepulchri,  
 Altaque marmoreus ſydera tangat apex:  
 Sed magis ut liceat longas audire querelas,  
 Et gerere è lachrymis ſerta rigata tuis.

Tunc ego Lethææ spatiatus in aggere ripæ,  
 Qua nitet obtuso lumine falsa dies,  
 Quaque levis Casiæ nemus, Ambrosiæque virentis,  
 Et fortunatos abluit unda greges,  
 Dulcia præteritæ repetens infomnia vitæ,  
 Ostendam Elysiis tot mea dona choris:  
 Felicesque animas inter felicior ipse  
 Excipiam plausus lata per arva novos:  
 Atque aliquis comitum lætusque hilarisque recentis  
 Sparget humi flores, & mihi ferta feret:  
 Nec contentus eo, fidos extollet amores,  
 Narrabitque aliis de pietate tuâ.  
 Sed quoniam teneræ vernant nunc læta juventæ  
 Tempora, & amplexus jungere fata sinunt;  
 Dulcia lascivæ jungamus gaudia lecto:  
 Jam properat mortis panda senecta comes.  
 Jam properant rugæque graves, & serior ætas;  
 Nec dabitur molli ludere posse toro.  
 Interea cupidis nectamus colla lacertis:  
 Ultima jam solvet, cum volet, hora duos.  
 Dii facite, hæc longos maneat spes certa per annos;  
 Candidus & pennis omina firmet Amor.

A D D I V U M J A C O B U M  
 P I C E N U M .

**S**ANCTE senex, quem nec sceleris contagia nostri,  
 Nec pessum vitiis sæcla dedere suis,  
 Æquasti magnos qui paupertate triumphos,  
 Tantus amor niveæ simplicitatis erat.  
 Sylva tibi sedes, viridique è cespite lectus;  
 Explebant mensas amnis & herba tuas.

Talis erat priscis victus mortalibus olim ;  
 Sed priscis tantum vivere cura fuit.  
 At te diversos naturæ expendere casus  
 Juvat, & instanteis divûm aperire metus :  
 Submotumque oculis animo percurrere cœlum ;  
 Quasque tenes sedes, mente adiisse prius.  
 Noscere præterea cunctarum exordia rerum ;  
 Quod vix humanæ conditionis erat.  
 Magnum opus, ut primâ surgentis origine mundi,  
 Omnia sint senis edita luciferis :  
 Utque Pater sanctâ demum cessare quiete  
 Perfecto artifices jusserit orbe manus.  
 His addis cultusque pios, ritusque verendos,  
 Cunctaque legifero tradita sacra duci :  
 Quæque suis castæ sæclis cecinere Sibyllæ ;  
 Quæque sacer vatum spiritus ore refert :  
 Sydereos partus, demissaque pignora cœlo,  
 Atque inopes cunas, stramineumque torum :  
 Speratumque diu terris, cœloque probatum  
 Verum hominem, verum mente animoque Deum.  
 Hinc & supplicium infandum, atque opprobria mortis,  
 Claraque de Stygiâ ducta tropæa domo.  
 Denique ut ad patrem populo spectante suorum  
 Cessërit, igniferis præsideatque locis :  
 Quantaque nos maneant promissæ gaudia vitæ,  
 Quantaque venturæ gloria lucis erit.  
 Miremur, tibi si placidi penetrale Tonantis,  
 Et patet immensi regia clara poli ;  
 Cum tantum his superas meritis sit scandere in arces,  
 Qua plaga securum lactea monstrat iter ?  
 Scilicet inde datur terras spectare jacenteis,  
 Et circumfusi brachia curva maris ;

Solis

Solis & ardentes radios; Lunæque recurfus ;  
 Qualiter & pactâ stent elementa fide :  
 Nec minus æternis niteant ut sydera flammis,  
 Et peragant varias noxque diesque vices.  
 Felix, qui nostras potuisti linquere curas,  
 Et procul humanas despiciere illecebras.  
 Felices, qui te colles videre loquentem,  
 Quæque tibi gratos præbuit herba toros :  
 Quæque arbor, rupeve sacrâ te fovit in umbrâ ;  
 Et quæ nunc cineres continet urna tuos.  
 Nam licet incultis fuerit tibi vita sub antris,  
 Nunc pedibus data sunt astra terenda tuis.  
 Attamen ô dic sancte pater, dic addite cœlo  
 Gloria, dic patriæ fama decusque tuæ ;  
 Ecquid te solitis mulcet sapientia chartis,  
 Mollis ubi Elysiûm concitat aura nemus ?  
 An juvat auratâ meditantem carmina cannâ,  
 Nectere purpureâ tempora cana rosâ ?  
 An mage virgineis sedet invigilare choreis ;  
 Cum deceat cœlo, quicquid in orbe libet ?  
 An potius, toto superûm spectante senatu,  
 Diluis æthereo crimina nostra foro ?  
 Denique quicquid agis, nitidi novus incola cœli,  
 Pectoribus nostris non leve numen eris.

## DE STUDIIS SUIS,

ET

## LIBRIS JOVIANI PONTANI.

**Q**UI primus patrios potuit liquisse penates,  
 Et maris & longæ tædia ferre viæ,  
 Quem non mœsta domus, quem non revocare parentes,  
 Non potuit fufis blanda puella comis ;

Impius,

Impius, & scopulis, & duro robore natus,  
 Atque inter tigres editus ille fuit.  
 Non mihi circumstat solidum præcordia ferrum,  
 Nec riget in nostro pectore dura flex ;  
 Ut possim dulcesque lares limenque puellæ  
 Linquere, & ignoto quærere in orbe domum.  
 Sed Phœbi sacros cogor lustrare recessus,  
 Vocalemque undam, Thespiadumque choros ;  
 Ut fugiam nigras supremo in funere flammæ,  
 Et volitem populi docta per ora mei ;  
 Meque inter claros attollat fama poëtas,  
 Nec rapiat nomen nigra favilla meum ;  
 Et nostro celebrata superbiat umbra sepulchro,  
 Spernat & è Paris marmora cæsa jugis.  
 Non tamen ut magni tumulum tentare Maronis  
 Audeat, aut tantum speret habere decus.  
 Sed quis tam niveis vellat mea colla lacertis ?  
 Quis vetet optato membra fovere sinu ?  
 An tanti fuerit sacro Parnasus hiatu,  
 Perque suas passim templa habitata deas,  
 Ut tibi fit nitidos lachrymis corrumpere ocellos,  
 Discessumque fleas, chara puella, meum ?  
 Ah pereat quicumque leveis sectatur honores,  
 Et sequitur famæ nomina vana suæ.  
 Tecum ego nocturnis dubitem cessare choreis ?  
 Tecum ego conspersa gaudia inire rosâ ?  
 Deductumque levi crinem perfundere amomo ?  
 Et noctem insolitis ducere blanditiis ?  
 Scilicet & Turcas Pontanus in æquora classes,  
 Alfonsi & fortes ducat in arma manus :  
 Qui nunc nascentis canit incunabula mundi,  
 Aureaque æthereâ sydera fixa domo :

Utque

Utque imbres lapidesque pluant, ut nubibus ignes  
 Exsiliant, falsas ut mare volvat aquas:  
 Hesperidumque hortos, excussaque poma draconi,  
 Rusticaque ad primos munera missa toros,  
 Delicias, Lepidina, tuas, resonansque vicissim  
 Pastorum argutis carmen arundinibus:  
 Qualiter & fulvis radiet Sertorius armis,  
 Et Pompeianus prælia tentet eques:  
 Audeat arguto neu quis contendere versu,  
 Ille vel æterno digna Marone sonat.  
 Te pater irriguis audit Sebethus in antris,  
 Jurgia ad ingratas dum jacis ipse fores.  
 Inde vocas sacrum festas Hymenæon ad aras,  
 Optati referens foedera conjugii;  
 Utque tuis primum surgens complexibus uxor  
 Visa sit ereptâ virginitate queri.  
 Felix, qui fidos expertus conjugis ignes,  
 Vidisti sobolis pignora certa tuæ;  
 Næniolasque rudes cecinisti, & blanda parentis  
 Oscula, & ad cunas murmura nata suas.  
 Felix, excultum torfit quæ Fannia vatem,  
 Quæque illi regnum Cinnama subripuit.  
 Quamvis diffidii leges patiantur amaras,  
 Spectabunt cineres nomen habere suos.  
 Eridani post hæc sed te quis credat ad amnem  
 Populeâ canas fronde ligasse comas?  
 Et Stellam cecinisse, atque impendisse querelas,  
 Spectandos cum jam vix daret illa pedes:  
 Baianoque sinus, myrtetaque cognita nymphis,  
 Clausaque sulphureis antra recurva jugis:  
 Tum superum laudem, mutisque incisa sepulchris  
 Nomina, collapsos & reparare rogos:

Denique



Denique Pindaricosque modos, resonantia plectra,  
 Et Methymnææ fila novasse lyræ:  
 Cum tamen interea motus atque agmina regum,  
 Bellaque Campanæ discutis historiæ.  
 Quin & jucundo diftringis sæcula morsu,  
 Dum vafer in Stygio disputat amne Charon.  
 Varronisque tui, Nigidique exempla secutus,  
 Grammaticæ haud spretas incipis ire vias.  
 Carminis hinc numeros nostris depromis ab ausis,  
 Dignatus pueri verba referre senex.  
 Quid loquar, ut sacros Mariani exhauriat amnes  
 Ægidius, verum dum canit ore Deum?  
 Aut aptâ ingratos taxet sub imagine mores,  
 Qui super infusas spernit Asellus aquas?  
 Te juvenesque senesque colunt præcepta ferentem,  
 Parthenope spreto quæ Cicerone legit:  
 Ex adytis quicquid divûm sapientia pandit,  
 Et, Stagira, tui dogmata firma senis:  
 Quid deceat fortemque virum, quæ principis artes,  
 Largificas præstet quæ dare dona manus:  
 Parendi leges quæ sint, legesque loquendi:  
 Edat ut argutos lingua disertæ sales:  
 Quid fortuna homini, quid det prudentia, quantum  
 Immanes animos incitus ardor agat:  
 Magnanimique viri quæ sint ad singula partes,  
 Sive colat pacem, seu fera bella gerat.  
 Nec fugis astrorum causas aperire latenteis,  
 Et Ptolemææi fata reposita poli.  
 Salve sancte senex, vatum quem ritè parentem  
 Præfecit terris Delius Aufoniis.  
 Non te Lethææ carpent obliviam ripæ,  
 Nec totum in cineres vertet avara dies.

Nec tibi plebeio ponetur in aggere bustum :  
 Niliacas dabitur vincere Pyramidas.  
 Quid tibi victrices expectas, Umbria, palmas?  
 Moenibus has patriæ rettulit ille meæ.  
 Ille suis longùm studiis & laude fruatur :  
 Me juvet in dominæ consenuisse sinu.

## IN DOMINÆ NATALEM,

## AD JUNONEM.

**J**Unoni fer sacra, novas lege, Musa, coronas:  
 Natalis dominæ jam mihi festus adest :  
 Ipsa sed inprimis solennes indue cultus,  
 Et mihi purpureâ tempora cinge rosâ.  
 Utque aliquid gratas divæ meditemur ad aras,  
 Affer inauratæ garrula plectra lyræ.  
 Tu quoque, vita, tuos auro subnecte capillos :  
 Plurimaque in niveo pectore gemma micet.  
 Hæc mihi te, mea lux, seros promisit in annos,  
 Hæc mihi te certam jussit habere dies.  
 Quanta mihi hâc primum fulserunt gaudia luce?  
 Quantum in hoc uno tempore venit honos?  
 O mihi Erythræis merito signanda lapillis!  
 O mihi delicias inter habenda meas!  
 Quisquis ades, bona verba & lætos edite cantus,  
 Libaque de Siculo dulcia melle date.  
 Alba mihi vestis nullo violata veneno  
 Adsit, & in geminos defluat apta pedes.  
 Ante aram viridi texant umbracula quercu  
 Formosis Dryades, rustica turba, comis.

Phœbus

## 14. S A N N A Z A R I I

Phœbus odoratâ circum tegat atria lauro :

At myrto duplices tu, Cytherea, fores.

Ipsa Arabum merces Nyseïa turba ministret,

Lenæusque ferat Naxia vina pater.

Omnia sint lætis operata ex ordine facris,

Et cœlum niveis constrepat alitibus.

Magna parens Juno, centum comitata ministris,

Huc ades, & votis annue, Diva, meis.

Vos quoque per vacuum quæ luditis aëra, Nymphæ,

Cingite felici nubila summa choro ;

Scilicet eventûs hæc sint bona signa futuri,

Hæc eadem plenæ nuntia lætitæ.

Ipsè ego vestra sequar jucundo gaudia plausu,

Et peragam varios ore manumque modos :

Quinetiam fertis, & thure calentibus aris,

Excipiam sanctâ numina vestra die.

At tu, natalis, nullos non fauste per annos,

Semper honoratâ luce serenus eas.

Quodque opto, innumeras (si quid prece posse putamur)

Cumææ vincas vatis Olympiadas.

## A D R U I N A S C U M A R U M

## U R B I S V E T U S T I S S I M Æ.

**H** I C, ubi Cumææ surgebant inclyta famæ

Mœnia, Tyrrheni gloria prima maris,

Longinquis quo sæpe hospes properabat ab oris,

Visurus tripodas, Delie magne, tuos,

Et vagus antiquos intrabat navita portus,

Quærens Dædaleæ conscia signa fugæ :

(Credere

(Credere quis quondam potuit, dum fata manebant?)

Nunc sylva agrestes occulit alta feras.

Atque ubi fatidicæ latuere arcana Sibyllæ,

Nunc claudit saturas vespere pastor oves.

Quæque prius sanctos cogeat Curia patres,

Serpentum facta est alituumque domus.

Plenaque tot passim generosis atria ceris,

Ipsa suâ tandem subruta mole jacent.

Calcanturque olim sacris onerata tropæis

Limina, distractos & tegit herba deos.

Tot decora, artificumque manus, tot nota sepulchra,

Totque pios cineres una ruina premit.

Et jam intra solasque domos, disjectaque passim

Culmina setigeros advena figit apros.

Nec tamen hoc Graiis cecinit Deus ipse carinis,

Prævia nec lato missâ columba mari.

Et querimur, citò si nostræ data tempora vitæ

Diffugiunt? urbes mors violenta rapit.

Atque utinam mea me fallant oracula vatem,

Vanus & à longâ posteritate ferar.

Nec tu semper eris, quæ septem amplecteris arces;

Nec tu, quæ mediis æmula furgis aquis.

Et te, (quis putet hoc?) altrix mea, durus arator

Vertet, & Urbs, dicet, hæc quoque clara fuit,

Fata trahunt homines; fatis urgentibus, urbes,

Et quodcunque vides auferet ipsa dies.

QUOD.

QUOD PUERITIAM EGERIT  
IN PICENTINIS.

AD CASSANDRAM MARCHESIAM.

**E**ST Picentinos inter pulcherrima montes  
Vallis : habet patrios hic pia turba Deos.  
Quam super hinc cœlo surgens Cerretia rupes  
Pendet : at huic nomen Cerrea sylva dedit.  
Parte aliâ sacræ respondent saxa Tebennæ,  
Quique rigens Merulæ nomine gaudet apex.  
Et circum nigrâ latè nemus accubat umbrâ,  
Plurima qua riguis effluit unda jugis,  
Semiferi, si verâ canunt, domus horrida Fauni ;  
Convectant avidæ quò sua lustra feræ.  
Accipit hic tergo formosum bucula taurum :  
Accipit immundum sima capella marem.  
Mille tori Dryadum, Satyrorum mille recessus,  
Antraque sylvicolæ grata latebra Deæ.  
Vivula nomen aquæ, tenuique Subuncula rivo,  
Et quæ de gelidâ grandine dicta sonat.  
Huc mea me primis genitrix dum gestat ab annis,  
Deducens charo nupta novella patri,  
Adtulit indigenis secum sua munera divis,  
Imprimis docto florea ferta gregi.  
Grex erat Aonidum, cœtu comitata sororum  
Ipsa sui princeps Calliopea chori.  
Delius argutis carmen partitus alumnis  
Flectebat faciles ad sua plectra manus.  
Atque hic me sacro perlustravere liquore,  
Cura quibus nostræ prima salutis erat.

Tum

Tum lotum mediâ puerum statuere choreâ,  
 Et circumfufis obftrepuere fonis.  
 Denique præcinctumque hederis, & virgine lauru,  
 Ad citharam dulces edocuere modos.  
 Tantus erat lætis avium concentus in agris,  
 Ut poffes ipfos dicere adeffe deos.  
 Venerat omne genus pecudum, genus omne ferarum,  
 Atque illâ feftum luce habuere diem.  
 Tunc ego paftorum numero, fylveftria primum  
 Tentavi calamis fibila disparibus.  
 Deductumque levi carmen modulatus in umbrâ,  
 Innumeros pavi lata per arva greges.  
 Androgeumque, Opicumque, & ruftica facra fecutus,  
 Commovi lachrymis mox pia faxa meis,  
 Dum tumulum charæ, dum feftinata parentis  
 Fata cano, gemitus dum, Melifæe, tuos.  
 Ac tacitas per operta vias rimatus, & antra  
 Inſpecto, & variis flumina nata locis,  
 Mox majora vocant me numina: fcilicet alti  
 Inceffere animum facra verenda Dei,  
 Sacra Dei Regisque hominum, dominique Deorum  
 Primævum sanctæ religionis opus:  
 Nuncius æthereis ut venerit aliger aſtris,  
 Dona ferens caſtæ virginis in gremium.  
 Quid referam cauſasque ovium, luſusque canentum  
 Paſtorum, & Reges, Arfacis ora, tuos?  
 Nec minus hæc inter piſcandi concitus egit  
 Ardor in æquoreos mittere lina ſinus,  
 Fallacesque cibos vacuis includere naſſis,  
 Atque hamo undivagos follicitare greges.  
 Quandoquidem falſas deſcendi ego primus ad undas,  
 Auſus inexpertis reddere verba ſonis.

Quid referam modestæque Elegos, miserabile carmen,

Et Superis laudes non sine thure datas?

Quæque aliis hæsi numeris, dum seria tracto,

Dum spargo varios per meâ dicta sales.

Multaque præterea, dilectæ grata puellæ,

Adscisco antiquis rursus Hetrusca modis.

Ut fileam nunc impensos tot regibus annos,

Tot data belligeræ tempora militiæ:

Ut fileam voxata malis meâ corpora morbis,

Vixque Machaoniâ restituenda manu.

Adde graves populique fugas, procerumque ruinas,

Infiicta & miseris urbibus exilia.

Ipse per infestos tecum, Federice, labores

Multa adii terrâ, multa pericla mari.

Tuscorumque vadis, Ligurumque exercitus undis,

Postremò littus Massiliense subi.

Jam Rhodanum, Volcasque feros, Vocontiaque arva

Legimus, & fines, Belgica terra, tuos.

Bisque pruinosas cursu superavimus Alpes;

Bis metas magni vidimus Oceani.

Atque hic te tandem deslevimus, optime Regum,

Quantum Hecube natos fleverat ipsa suos;

Quantum discissis fratres Cassandra capillis,

Andromacheque sui dum legit ossa viri.

O fatum infelix! ô fors male fida! quid illic

Egimus? ô tristi merfa carina loco!

Cum nullum interea frugis genus imbre vel æstu

Redderet ingenio Musa vocata meo.

Et jam miramur, longo si pressa labore

Amisit vires parvula vena suas?

Ipse deum simul atque hominum celebrator Homerus

Deficeret; nedum segnis inessque lyra,

Defi-

Deficere pater ipse, & carminis autor Apollo,

Pegafidum sacras qui tenet unus aquas.

Ergo, tanta meæ cum sint dispendia vitæ

Facta, potes nostram quisque dolere vicem,

Quod non ingenio, quod non profecimus arte,

Quod mea sit longo mensi prope victa situ;

Quod mala subrepens imos ceu pestis in artus

Irruerit, fracto corpore, segnities;

Nec pote jam lapsæ studium revocare juventæ,

Ingenii cum sit tanta ruina mei.

Tu saltem, bona posteritas, ignosce dolori,

Qui facit ut spreto sit mea fama loco;

Musarum spolietque bonis, & nomine claro

Vatis, & hæc ultro credat habere mala.

Profit, amicitiaë sanctum per sæcula nomen

Servasse, & firmam regibus usque fidem.

Vosque vel ignavo, vel tardo parcite, amici,

Cui natura suas dura negarit opes;

Dum tamen ambitione malâ, atque libidine turpi,

Et caream invisa crimine avaritiæ.

Tu quoque vel fessæ testis, Cassandra, senectæ,

Quam manet arbitrium funeris omne mei,

Compositos tumulo cineres atque ossa piato;

Neu pigeat vati solvere iusta tuo.

Parce tamen scisso seu me, mea vita, capillo,

Sive: sed heu prohibet dicere plura dolor!

## DIES GENIALIS.

**A**Ureli, perfunde meis unguenta capillis

Tu super, & vernas sparge, Nearche, rosas.

Sed prius æstivum ramis defendite solem,

Et viridi mollem sternite fronde torum.



Non plumæ, non picta juvant me stragula, nec quæ  
 Pavonis vario sponda colore nitet.  
 Larga coronatâ disponite pocula mensâ,  
 Setino & gelidas adfociate nives :  
 Certatimque leves potanti inducite somnos,  
 Sic juvat ætatis ducere fila meæ.  
 An scimus miseri quid lux ventura minetur?  
 Vivamus : mortem fallere nemo potest.

### AD VILLAM MERGILLINAM.

**R**UPIS ô sacræ pelagique custos,  
 Villa, Nympharum domus, & propinque  
 Doridos, Regum decus una quondam  
 Deliciæque,

Nunc meis tantum requies camœnis,  
 Urbis invisas quoties querelas,  
 Et parum fidos popularis auræ  
 Linquimus æstus :

Tu mihi solos nemorum recessus  
 Das, & hærenteis per opaca laurus  
 Saxa : tu fonteis, Aganippidumque  
 Antra recludis.

Nam simul tete repeto, tuasque  
 Sedulus mecum veneror Napæas,  
 Colle, Mergillina, tuo repentè  
 Pegasis unda  
 Effluit, de quâ chorus ipse Phœbi,  
 Et chori Phœbus pater atque princeps,  
 Nititur plures mihi jam canenti  
 Ducerè rivos,

Ergo

Ergo tu nobis Helicon, & udae  
Phocidos saltus, hederisque opacum  
Thespiæ rupis nemus, & canoro  
Vertice Pindus.

I puer, blandi comitem laboris  
Affer è primâ citharam columnâ,  
Affer & flores, procul omnis à me  
Cura recedat.

Principis nostri decus, atque laudes  
Fama, per latas spatia terra, s  
Euehat, qua Sol oriens cadensque  
Fræna retorquet;

Quaque non notos populos & urbes  
Damnat æternis Helice pruinis,  
Quaque ferventis cumulos arenæ  
Dissipat Auster.

Ille crescenteis veneratus annos  
Vatis, antiquum referentis ortum  
Stirpis, & clarum genus, & potentum  
Nomen avorum,

Contulit largâ numerosâ dextrâ  
Dona, & ignavæ stimulos iuventæ  
Addidit, sylvas & amica Musis  
Otia præbens.

**C**UM vehor pictâ vacuus phaselo,  
Et modo septos jaculis echinos,  
Nunc benè hærentis scopulis labore  
Vellere conchas;

Tange vocaleis studiosa chordas  
 Musa, & auratum moderare plectrum:  
 Pauca de multis referamus acta  
 Regis amati.

Qualis herbofo spatiosa campo  
 Virgo, jam matris decus & voluptas,  
 Nescite solis violis coronam,  
 Cætera linquens.

Hic ubi veras imitata turris  
 Tot simul pinnis, niveisque tectis,  
 Rupe Mergillina sedens, propinquum  
 Spectat in æquor,

Adsit ex imo Galatea fundo,  
 Nil timens sævos Polyphemi amores,  
 Nec mihi durum refluens canenti

Obstrepat unda.

Sit licet magnus, trepidasque turmas  
 Fregerit primis Federicus ausis,  
 Cum puer celsas penetravit Alpeis,  
 Saxaque Rheni;

Texerit latis pelagus carinis,  
 Dalmatum diteis populatus urbeis;  
 Senferit presso prope fulminantem  
 Ore Timavus;

Cinxerit sacrâ meritum coronâ  
 Et caput, Gallos quoniam feroceis  
 Contudit; totas revocârît orci ex  
 Faucibus urbeis:

Nil tamen majus, nihil egit unquam  
 Fortius, quàm quòd titubante regno,  
 Cum sibi sceptrum & diadema posset  
 Sumere tutus,

Conjugem charam propriosque natos  
 Liquit, & fidas lachrymas clientum,  
 Fratris heu pulsam sobolem secutus  
 Per mare vastum.

Ergo nunc illi moderator alti  
 Ætheris, cui sunt pia facta curæ,  
 Regium frontis decus & negatos  
 Addit honores.

O Fides, rarum placidumque numen,  
 O mihi nullis reticenda sæclis,  
 Te te ego æternum prece victimisque  
 Pronus adorem.

## DE MIRABILI URBE VENETIIS.

Viderat Hadriacis Venetam Neptunus in undis  
 Stare urbem, & toto ponere jura mari:  
 Nunc mihi Tarpeias quantumvis Jupiter arceis  
 Objice, & illa tui moenia Martis, ait.  
 Si Pelago Tybrim præfers, urbem aspice utramque:  
 Illam homines dices, hanc posuisse Deos.

## JANI ETRUSCI.

## AD AMICAM.

NOctis ubi trepidis jucundior hora puellis  
 Ducet Acidaliis tempora grata jocis,  
 Te, mea cura, petam per sæva pericula tutus:  
 Nox, animos facient Bacchus amorque mihi.

nocte,

C 4

Ipsa

Ipsa cave resonant revoluto cardine postes,  
 Porta breve excipiet semiadaperta latus.  
 Cum primùm attigero tacitis genialia plantis  
 Limina, sis collo sarcina grata meo.  
 Hæc illæc hederæ ut cingunt arbuta tenaces,  
 Implicet amplexu sic, mea vita, tuo.  
 Nil tibi non liceat, sed me quoque nequior ipso  
 Brachia fer collo sæpe iterata meo.  
 Uvidulifque premas longùm mea labra labellis,  
 Multaque des nobis oscula, multa feras.  
 Et modò sint ullo properata sine ordine raptim,  
 Et modò sint longâ basia ducta morâ:  
 Sævitiâ facili quæ nunc exacta negato,  
 Cum poscente magis te juvet illa rapi.  
 Interdum tua lascivo luctamine lingua  
 Hæc furtim nobis occupet eripere.  
 Oraque non dubites morfû læsisse protervo:  
 Sit mea, sit cervix livida dente tua.  
 Lentaque non jaceat pars corporis ulla: vagetur  
 Hinc illinc cursu liberiore manus.  
 Utque oculi primùm tremulo fulgore micantes  
 Accensæ Veneris conscia signa ferent;  
 Cum cupiens pariter cupidum, mea vita, videbis,  
 Et placidam in pugnam mutuus ardor aget;  
 Nequitias tunc ipsa omnes exprome, jocosque;  
 Ipse jocos omnes nequitiasque dabo.  
 Sæpius invitum cogas, renuasque volentem,  
 Desque recusanti, sæpe rogata neges.  
 Atque modò querulum lachrymis testere dolorem,  
 Et nobis tangi te vetet ille diu.  
 Me voces audire juvet modò gaudia fassas;  
 Perspicuusque tuo risus in ore sonet.

Inque

Inque modos omnes dulces imitare figuras,  
 Dum subeat blandus lumina victa sopor.  
 Tunc etiam menti lascivia nostra recurset,  
 Subjiciatque mihi gaudia ficta quies.

## CUJUSMODI CUPIT POST VITAM TUMULUM.

**N**ON mihi fornicibus Paris, Graeque Caristus  
 Visceribus caesus contegat ossa lapis.  
 Nec tumulum exornent operosi munere caeli  
 In varias facies marmora ficta meum.  
 Sed postquam effectum corpus lucemque perosa  
 Exierit campos vita sub aërios,  
 Tunc teneri cineres supremaque busta poëtae  
 Obruat exiguo cespite mollis humus.  
 Tunc ego, gleba licet, studii non-immemor acti,  
 Consona quò vitæ sint sua fata meæ,  
 Confurgam Veneri gratus de cespite truncus,  
 Et fiam patulis myrtus opaca comis.  
 Cui dabit inferias & adorea liba quotannis  
 Cum socio veniens culta puella tori.  
 Et circa tumulum gressu ter plaudet ovanti  
 Ad calami raucos enthea turba modos:  
 Et dicent, Cujus cinis hac tellure quiescit  
 Magnus amator erat, magnus amator obit:  
 Teligeri fuit ille Dei Venerisque sacerdos,  
 Et cujus fuerat nos quoque turba sumus:  
 Turba sumus Veneris, Veneris juvat ergo poëtae  
 Dicere terra precor non gravis ossa premat.  
 Fronde meâ pingues dum tondent gramina vaccaë,  
 Pastor ab æstivo sydere tutus erit:

Et

Et placidam flavæ formam cantabit amicæ  
 Disparibus modulans carmen arundinibus.  
 Fors & amatoris frondes succedet easdem  
 Expugnata sui mollis amica prece;  
 Blandaque carminibus interferet oscula gratis,  
 Oscula vel cineres apta movere meos.  
 Tunc ego ramosas diffundam lætior umbras;  
 Signaque lætitiæ frons manifesta feret;  
 Splendidiusque virens testabor gaudia; crescet  
 Luxuria illorum tunc mihi luxuria.  
 Illa ego, quæ fuero baccis modò myrtus amaris,  
 Attica tum vincam mella sapore novo.  
 Non erit invidiæ mihi formosus Cyparissus,  
 Thessalis aut Clario cruda puella deo.

## TITI STROZÆ FERRARIENSIS.

## AD ANNULUM AB AMICA DATUM.

**A**Nnule dulce mihi dilectæ munus amicæ;  
 Annule delicias inter habende meas;  
 Tu licet excellas auro pretiosus, & aptè  
 Gemma sit artificii clausa magisterio;  
 Est aliquid, mihi quo meruisti gratior esse;  
 Scilicet in niveâ te tulit illa manu.  
 Illa etiam dono cum te mihi tradere vellet,  
 Inprimis monuit, quàm sibi charus eras.  
 Mecum igitur semper noctesque diesque manebis;  
 Mille tibi amplexus, oscula mille feram.  
 Inque sinu ponere, manus dum nostra lavatur,  
 Invida ne mitidum te mihi lædat aqua.

Tu modò, læva, cave commissum perdere pignus,  
Siqua hoc mandantis gratia tangit heri.

## AD AMICAM.

**S**I levior foliis, aurâque incertior essem,  
Et flueret modico tempore nostra fides;  
Non ego tam longo constans in amore fuisssem,  
Ire nec assiduas cogerer in lachrymas:  
Nec graciles adeo macies consumeret artus,  
Nec mea mutaret pallidus ora color.  
Sed vos decipere incautos didicistis amantes;  
Et queritur lædi, fallere siqua parat.  
Tu me infelicem formosam Lotida narras,  
Et Marcotinidem præposuisse tibi.  
Has ego dispeream si præter nomina novi;  
Tardaque & infido sit mihi dura Venus.  
Tene ego desertâ potuisssem ducere vitam,  
Hæc Iole quamvis, Inachis illa foret?  
Non sum, quem valeant aliæ mutare puellæ;  
Nec meus incertis passibus errat amor.  
Huc cursum tenui; tu portus es, anchora nostra hic  
Hæreat, hinc nullis fluctibus ejiciat.

## HERCULIS STROZÆ.

## AMOREM SIBI CELANDUM.

**U**ROR, io! sævas remove, Puer improbe, flammæ;  
Uror, & ulterius mens nequit ægra pati.  
Pectoris arcanos nihil est quod temperet æstus,  
Causa sed exitio quælibet apta meo.

Seu



Seu mihi syderæ subeunt fastigia frontis,  
 Seu, Veneris quales non reor esse, comæ :  
 Seu magis arguti vires admiror ocelli,  
 Labrave purpureis anteferenda rosis :  
 Seu similes ebori dentes, & eburnea colla,  
 Seu nivei recolo munera rara sinûs :  
 Seu læves humeros, seu castigata voluto  
 Ilia, seu longam præniveamque manum :  
 Denique seu decor obijcitur, seu gratia morum,  
 Mille Venus causas, unde fatigetur, habet.  
 Nec suspirandi locus est, poenamque fatendi ;  
 Una datur lachrymis conscia sylva meis.  
 Hic quoque vix ausim tenues effundere questus,  
 Dum timeo intentis auribus esse rubos.  
 Namque & Hamadryadas cognatâ vivere quercu,  
 Naiadas & liquido vivere fonte ferunt.  
 Quin viridi occultâ signavi in cortice nomen,  
 Abrado invitâ chara elementa manu.  
 Ergo graves semper taciti celabimus ignes ?  
 Quamque ferat nobis, non sciet ullus opem ?  
 Mitius est subitâ fatum subiisse securi,  
 Inter & hostiles oppetiisse manus.  
 Mille neces unâ patimur, semperque fatigat  
 Sævius impatiens carceris acer Amor.  
 Sueverat huc illuc levibus divertere pennis,  
 Ducere nec longas in statione moras.  
 Jam his in Elæo certarunt pulvere currus,  
 Pectore discessit nec tamen ille meo.  
 Signa nec ulla dedi populantis corda doloris ;  
 Mille faces constans, spicula mille tui.  
 Qui bene dissimulat, quos dissimulavimus, ignes,  
 Militet in castris, magne Cupido, tuis :

Et

Et tua littorèa redimitus tempora myrto,  
 Signa triumphales præferat ante rotas.  
 Sed mihi quid profunt artes? si semen arenæ  
 Creditur, & sterilis nil mihi reddit ager?  
 Tot mala perpeffo vix contigit oscula furtim  
 Carpere, blanditias nec seruisse datum est.  
 Sæpe quidem licuit, per causam, tangere dextram,  
 Clamque pedem tenero composuisse pedi.  
 Tum magis inde meis passim bacchata medullis  
 Flamma gravaturum continuavit onus.  
 Et nisi quod græciles spes credula nutriit artus,  
 Jam niger haufisset corpus inane rógus.  
 Vix manet; umbra pedes, umbra est hoc debile corpus,  
 Ante quod optavit multa puella sibi.  
 Nec tamèn æquoreâ maciem de compede traxi,  
 Membra Promethæis nec tenuata malis:  
 Hoc Dominæ crimen, cujus de fronte Cupido  
 In mea ferventi conjicit ossa faces.  
 Non me Sicanus flammaverit acrius ignis  
 Quàm Dominæ roseo qui micat ore nitor.  
 Sed tacito flammæ sub pectore ferre necesse est,  
 Vulnera ni frustra sustinuisse velim.  
 Post Hyadas sperat geminorum sydera fratrum,  
 Nec timet iratas navita doctus aquas.  
 Sic mihi post longos requies speranda labores,  
 Ulla nec inceptum causa moretur iter.  
 Tu, Dea, tu tantùm præfens mea vota secunda;  
 Ipsa dabis faciles duro in amore vias.

IN AMOREM.

**I**Mprobe, cum solitâ careant mea pectora flammâ,  
 Quid nocturnæ mihi bella minaris Amor?  
 Sit fatis hybernæ glacialia frigora cœli  
 Non semel ad duras sustinuisse fores.  
 Sint probrosa fatis obscuræ iurgia noctis,  
 Totque mihi vacuos præterisse dies.  
 Pubentesque fatis tibi sit potuisse per annos  
 Pressa sub immerito colla tenere iugo.  
 I procul, hæc tanti fuerint tua dōna, Cupido,  
 Ut mihi non pluris sit superesse diu.  
 Et satius fuerit veterum monumenta virorum  
 Volvere, quàm turpi velle in amore mori.  
 Me piget igne meo quenquam torquere, pudetque  
 Me dominæ, & populo sæpe fuisse jocum.  
 Turpia præteritæ cognoscere facta iuventutæ  
 Nunc, licet invitus, præstitit acer amor.  
 Vindice me varios liceat tibi quærere amantes  
 Cognita carminibus Parthenopææ meis.  
 Mutua ne dubites nutu dare signa loquaci,  
 Et miseros verbis detinuisse procos.  
 Me coram liceat missas tractare tabellas,  
 Pluraque rivali munera ferre meo.  
 Cessit enim solitus tepesactis sensibus ardor,  
 Nec me, qui demens egerat, error agit.  
 Frigidus est calor ille, cinis licet æstuet intus,  
 Qui me sollicitum fecerat esse, Deus.  
 Hinc Deus, hinc ratio dubiis sub sensibus hærent,  
 Vique simul certat ille, vel illa pari.  
 Sed tamen incumbet stabili ratione Cupido,  
 Si datur æthereos vincere posse deos.

## F. MARI MOLSÆ.

AD HENRICUM BRITANNIÆ REGEM  
UXORIS REFUDIATÆ NOMINE.

Silicet hoc titulis deerat, Rex maxime, <sup>ves</sup>nostis, <sup>vestris</sup>vestris  
Conjugio pactam non tenuisse fidem;  
Et, quæ non sancti vinxerunt foedera lecti, <sup>nos</sup>nos  
Pellicis indigno posthabuisse toro.  
Dii bene, longinquis tantum quod sævus in oris  
Aggrederis dirâ conditione nefas.  
Hæc femota orbi vasto tibi regna recessu,  
Cinctaque dant animos fluctibus arva truces.  
Est aliquid, fateor, ventos audire furentes,  
Et quæ perpetuò murmura pontus habet.  
Larga tui quocunque olim se audacia jactet,  
Ingenio similis diceris esse loci.  
Non sic Penelopen Ithacâ digressus Ulysses  
Abrupto potuit linquere conjugio.  
Illum non sævæ mutarunt pocula Circes,  
Tristitia nec longæ tempora militiæ.  
Sed Divûm acceptus mensis, & divite lecto,  
Prætulit his vultus, Penelopea, tuos.  
Cumque olim posset cœlestia templa tenere,  
Maluit optato conjugis ore frui.  
Affixam faxis patriam sic maximus heros  
(Parva lapis quamvis nil nisi nudus erat)  
Prætulerat cœlo; longis erroribus actus,  
Ut posset casto membra levare toro.  
At mihi nescio quæ titulis non æqua mariti <sup>mariti</sup>mariti  
Subducit lecti dulcia vincla mei:

Possidet

Possidet & stupro dotalia regna nefando,  
 Et gerit in gremio comoda nostra suo,  
 Tu tamen hanc falso prætexens nomine culpam,  
 Jam famæ narras consuluisse tuæ.  
 Et fratris mihi sæpe torum tædasque priores  
 Objicis, & vani nomina conjugii ;  
 Cui quondam primis fueram desponsa Hymenæis,  
 Concordi heu nimium nupta futura domo !  
 Invidere meis contraria numina votis ;  
 Numina ad humanas semper avara preces.  
 Nam ruit ad tædas properans dum læta juvenus,  
 Araque Corycio fulget odora croco,  
 Illibata tibi relinquens sua gaudia, manes  
 Ante diem indigno funere merfus adit.  
 Sic fratri frater, sic tædis impia flamma,  
 Sicque toro obrepfit igne micante rokus.  
 Crede mihi, vanas frustra te vertis ad artes,  
 Si speras tantum posse latere scelus.  
 Arbitr ipse orbis Clemens, quo sospite terris  
 Pax viget, & sancto reddita jura foro,  
 Criminis admonitus tanti, Crudelia dixit  
 Vota foves nostrò terra aliena solo.  
 Priscorum & yolvens veneranda volumina patrum  
 Subscripsit causæ Maximus ille meæ.  
 Perge pater, sanctique pius defende pudoris  
 Vincula, non ullo dissolüenda viro.  
 Ipse Deum genitorque, & rerum summa potestas,  
 Cujus finitimum crederis esse caput,  
 Hoc ipsum ut strueret, tædas celebrasse jugales  
 Dicitur, & pictis accubuisse toris ;  
 Pocula cum pingui mutans Acheloia musto,  
 Cessit ab humanâ conditione procul.

Scilicet has leges æternaque fœdera sanxit,  
 Antiquata meo ut conjuge nulla forent?  
 Et quæ compositis laudaverit ipse libellis,  
 Improbet inconstans, dissimilisque sui?  
 Illuvies Germana tume, neu cede furori,  
 Cui, per quem periit, surgere posse licet.  
 At non ipsa fori discrimina sæva recuso:  
 Judicis innocuus non timet ora pudor.  
 Non ego fortitus vereor, non ferrea jura;  
 Te Quæsitorem mi licet urna ferat.  
 Sed tibi nullus adest æquus, te iudice, iudex,  
 Et præjudicio concidis ipse tuo.  
 Posterior causâ sic me jam sæpe priorem  
 Arguis; atque artes, deficiuntque doli.  
 Ipsæ etiam, quæ te circumstant, perfide, gentes,  
 Et populi, latâ quos ditioe premis;  
 Libera si detur tantum nunc copia fandi,  
 Te memorant sacram consecrassè fidem.  
 Atque odiis forsan consurgant undique justis,  
 Hisque tuis animis præmia digna ferant.  
 Diraque devotum poscant ad prælia regem,  
 Aut celeres properent in tua fata manus.  
 At tu quam præfers, sævo malè faucius arcu,  
 Dum censes animo cuncta licere tuo?  
 Nempe illam, nostros quæ comere sueta capillos,  
 Sæpius abreptâ vulnera sensit acu:  
 Quæ nobis toties liquidis vestigia lymphis  
 Permulsit, durâ nec satis apta manu:  
 Credita cui fuerat lecti custodia nostri,  
 Cùm te non puduit dicier esse meum.  
 Forsitan hic referas veteres Briseïdos ignes,  
 Et Telamoniadæ corda subacta ducis.

D

Thessalus

## 34 F. M A R I I M O L S Æ

Theſſalus aſt formâ Brifeïdos aſſit Achilles,  
*loro* Et Tecmeſſa *toto* principe digna fuit.  
 Altera divini numeris inſignis Homeri,  
 Nota Sophocleis altera carminibus.  
 Nunc te quæ moveat facies, quæ gloria morum,  
 Diſpeream, ſi tu dicere ſæve potes.  
 Sæpe tamen cur ſim tibi idonea viſa, requiro,  
 Quam duris perſtes ludificaffe modis.  
 Dumque memor repeto priſcorum nomina avorum,  
 Vix capiunt magnos atria longa duces.  
 Cæſare nil majus dederant pia Numina terris :  
 Huic tamen è noſtro eſt ſanguine ductus honos.  
 Quid tibi nunc magnis referam me regibus ortam ?  
 Aut jaſtem antiquæ nomina clara domus ?  
 Una mihi mater titulos Iſabella, genusque  
 Una parit ; ceras implet & una graves.  
 Quæ quondam calathos, telasque exoſa Minervæ,  
 Martia ſœminea ſuſtulit arma manu.  
 Moxque ſuâ fractos ſenſit ſub cuſpide reges,  
 Cæſaque captivos terga dediſſe viros.  
 Exuviis hinc aucta novis, hinc aucta triumphis,  
 Addidit imperio ſceptra ſuperba ſuo,  
 Eſſectæ donec cœli ſuper ardua virtus  
 Condidit in victo parta ſepulchra ſolo.  
 Teſtis Anas, Sicoriſque, vago quâ prænatat alveo  
 Terra potens ; fulvi teſtis & unda Tagi.  
 I nunc, atque tuos noſtris componere reges  
 Aude : compoſitis ſœmina major erit.  
 Imparibus ne forte ferox te in ſœdera vinclis  
 Deceptum quondam noſtra venire putes.  
 Ire per æternos placuit mihi Martis honores ;  
 Sim licet ipſa uno Cæſare ſulta ſatis.

Qui tamen es tu, quem nostri sic pœnitet oris,  
 Congressu ut perstes abstinuiffe meo?  
 Reginam thalamis qui sic excludis? & ipsa  
 Connubii exagitas jura, fidemque premis?  
 Tecum ego florentes potero sic turpiter annos  
 Exegisse, doli nec meminisse tui?  
 Aut ego te in castum polluto corpore florem  
 Invasisse viri nomine sustineam,  
 Pellicis ut vano tandem correptus amore  
 Exultes spoliis, impie, virgineis?  
 Ipsaque cœruleis sim fabula nota Britannis,  
 Et vivo vivens sic ferar orba viro?  
 O mihi terra satis quænam nunc ima dehiscat:  
 Quodque petat summâ hoc fulmen ab arce caput!  
 Debueram natæ jugulo demissa cruoris  
 Flumina luminibus supposuisse tuis:  
 Et patriis artus sparsos apponere mensis,  
 Objicere & sævis viscera nostra lupis.  
 Sed, quæ nulla tibi est, pietas crudelibus ausis  
 Obstilit, & sævum dextra refugit opus.  
 Vestra decent tales animorum pectora motus:  
 Conveniens nostro est mitior ira solo.  
 Hæc potius vivat, plenis & nubilis annis  
 Matris ad exemplum nubere cauta neget.  
 Nata vides patriis genitor te pellere regnis  
 Nititur; unde gravis fit tibi inusta nota.  
 Et matrem fraudare toro, justisque Hymenæis,  
 Heu, nimium turpi victus amore, parat!  
 Si tamen hic positis mitescat litibus olim,  
 Sævaque det rapidis vota ferenda Notis;  
 Sola tibi, & tantis servaris sedibus hæres,  
 Suscipias tenerâ sceptrâ regenda manu:



Tu faciles sine lite toros, sine lite Hymenæos,  
 Perpetuo summum carmine posce Jovem.  
 Maternumque animo repetens persæpe dolorem,  
 In nostro discas cuncta timere malo.  
 Tiphone crinem brevibus redimta colubris  
 Intulit ardentes in mea damna faces.  
 Obscœnum & carmen diro ingeminans ululatu,  
 Tristia connubiis omina fudit avis.  
 Ipsa sacros ignes devovit pronuba Juno:  
 Et mihi scœdifragâ est zona soluta manu.  
 Vestra tamen, Superi, si numina læsa reposcunt  
 Errorum pœnas, supplicibusque favent;  
 Hæc loca vi quondam Cæsar populatus, & igni,  
 Sæva jugum doceat, æquora vestra pati.  
 Quodque olim potuere Dei tela horrida Juli,  
 Dum furit, & medio fulminat ille mari,  
 Cæruleo ostendat frustra vos fidere ponto,  
 Lataque nequicquam fluctibus arva tegi.  
 Cæsaris ista horrent etiam nunc littora nomen,  
 Quo duce, ni fallor, bis potuere capi.  
 Ille sibi objectas ausus transcendere moles  
 Intentata prius per vada fecit iter:  
 Et male defensas in prædam fervidus arces  
 Vertit, & obstantes milite fregit opes.  
 Sic ventos sprevit virtus Romana furentes,  
 Et gressum ignotis intulit æquoribus.  
 At precibus si quis superest locus, & tua possunt  
 Insecti blandis pectora dura sonis;  
 Dejectas hinc natam oculos, hinc aspice matrem,  
 Nec pigeat tantis ingemuisse malis.  
 Æternum sic læta viris, sic læta puellis,  
 Tellus subjecto floreat ista mari.

Et mala cuncta ferant per terras irrita venti,  
 Deprompsit læso quæ mihi corde dolor.  
 Quod si sola tuo videor non digna cubili,  
 Et tristi perstas vivere diffidio ;  
 Nec te jura movent, precibus nec flecteris ullis,  
 Nec furiis obstat filia parva tuis ;  
 Me duce læta tuæ mittantur nuntia genti,  
 Henricum titulum mortis habere meæ :  
 Sedibus utque tuus genitor gestire sub imis  
 Possit, deque tuis surgere nominibus ;  
 Audiatur uxoris spoliis, & cæde superbum,  
 Pellicis indigno colla dedisse jugo.  
 Vos verò ultrices mecum properate sorores,  
 Et miserum diris pellite imaginibus.  
 Ut neque jam dulci declinet lumina somno,  
 Nec valeat sanæ mentis habere modum.  
 Sed flammis cinctæ, quoquo vestigia vertet,  
 Illuc Tartareâ lumina ferte face.

A D S O D A L E M,  
 I N M O R B O M O R T I F E R O.

**U**Ltima jam properant, video, mea fata, Sodales,  
 Meque ævi metas jam tetigisse monent.  
 Si foret hic certis morbus sanabilis herbis,  
 Sensissem medicæ jam miser artis opem.  
 Si lacrymis, vestrûm quis me non luxit? & ultrò.  
 Languentem toties non miseratus abit?  
 Obstruxere aures nostris contraria votis  
 Numina, & hæc ventos irrita ferre jubent.  
 Vos mihi, quos olim colui, dum fata sinebant,  
 Ultima jam cineri dona parate meo.

Vobiscum labor hic fuerit, quando his procul oris,  
 Ignara heu nostri funeris, uxor abest.  
 Uxor abest, nostrique diu studiosa videndi  
 Pro reditu patriis dona vovet Laribus.  
 Hæc potuit præsens, natæ comitata, feretrum  
 Floribus & multâ composuisse rosâ.  
 Et nivei lactis fontes libasse, merique,  
 Conjugis ut manes spargere mœsta queat.  
 At, qui me extremâ compellet voce sodalem,  
 Et claudat tenerâ lumina nostra manu,  
 Et fugientem animam supremâ exceperit horâ;  
 Hoc vos communi pro pietate rogo.  
 Non operosa peto titulos mihi marmora ponant,  
 Nostra sed accipiat fictilis ossa cadus:  
 Exceptet gremio quæ mox placidissima tellus,  
 Immites possint ne nocuisse feræ.  
 Rivulus hæc circum dissectus obambulet, unda  
 Clivoso qualis tramite ducta sonat.  
 Exiguus stet cæsa notis super ossa sepulta,  
 Nomen & his servet parva tabella meum:  
 Hic jacet ante annos crudeli tabe peremptus  
 Molsa, ter injecto pulvere, pastor, abi.  
 Forsitan in putrem longo post tempore glebam  
 Vertar, & hæc flores induet urna novos.  
 Populus aut potius abruptis artubus alba  
 Formosâ exurgam conspicienda comâ.  
 Quidquid ero, vestra hæc pariter descendet in imam  
 Tellurem pietas, Elysiûmque nemus.  
 Quod mihi si tumulto vobis curantibus arbor  
 Ingruat, & virides explicet alta comas;  
 Quæ circum nitidis, æstus dum sævit, obumbret  
 Frondibus, & scissam tegmine opacet humum;

Jam mihi pyramides, regum monumenta, valet,  
 Et quidquid miri barbara Memphis habet.  
 Scilicet huc, diti pecoris comitata magistro,  
 Conveniet festo pulchra puella die,  
 Quæ molles ductet choreas, & veste reincta  
 Ad certos norit membra movere modos.  
 Quin erit illa dies, frigus cum captet opacum  
 Hic aliquis flavo cum Corydone Mycon :  
 Et cantare pares, & respondere parati,  
 Alternis certent vincere carminibus.  
 Quorum aliquis forsan crudeli funere raptum  
 Me gemat, & lacrymis polluat ora piis :  
 Ac misero instauret funus, sternatque sepulchrum  
 Floribus, & nomen tollat ad astra meum :  
 Et dulci referat Musarum ut captus amore  
 Sustinui patriæ relinquere tecta puer :  
 Mollibus utque olim vitam dum degimus hortis,  
 Regales potui deseruisse domos :  
 Utque sub umbrosæ quercus, platanique virentis  
 Maluerim densâ delituisset comâ,  
 Quàm Tyriâ pictum chlamyde, auroque intertextum  
 Captatis vulgi plaufibus urbe vehi.  
 Tum faciles memoret mores, & puriter acta  
 Percurrat vitæ tempora quæque meæ.  
 Non ego I——volvens monumenta, nefandis  
 G——populos ritibus implicui.  
 Non mea mortiferos porxit tibi dextera succos  
 Hippolyte, Ausonii flenda ruina soli :  
 Auspicio externas cujus tandem Itala tellus  
 Abjectas Medicâ cuspide sensit opes.  
 Te rigidi stupuerunt Getæ, Rhenuisque bicornis,  
 Et tremuit famulis frigidus Ister aquis :

Miles ab Eo, veniens cum littore Nili

Ingemuit latebras tam procul esse tibi.

Ultorem nobis talem tete affore, pensa

Ferrea quæ ducunt, præmonuere Deæ.

Sed tantum terris quis te offensura putasset

Numina, tamque brevi tot peritura bona?

Itala res tecum periit, tezum Itala virtus,

O nimis immiti flamina rupta manu!

Cuncta ego quæ Latii dulces vulgare per oras

Dum propero, & laudes dicere, Magne, tuas;

Ante diem Elyfios cogor cognoscere campos,

Implet odoratum quæ pia turba nemus.

Illic ne incertâ ludar regione viarum,

Occurras vati nobilis umbra tuo.

Et myrto cinctum caput, aut Daphneide fronde,

In tibi vicino me velit esse loco.

Interea dulces coetus valeatis amici,

Jam vocat in nigros mors tenebrosa lacus:

Increpitatque moras Lethææ portitor undæ,

Et remi auditus per loca secta fragor. *sentia*

Dii tamen in melius vertant hæc omina, si quem

Humanis precibus non pudet esse locum.

## A D V E N E R E M.

**A**LMA Venus, frondosa colis seu littora Cypri,  
Seu petis Idalii florida culta soli;

Si te sique tuum colui, mea Numina, natum,

Deque meo vobis carmine venit honor;

Adfis, & teneræ senium defende puellæ,

Et quæ damna feret senior hora veta.

Venit

Venit ad extremi (heu facinus!) jam tempora veris

Hæc mihi non vano nomine dicta Dryas.

Tu domina, tu Diva precor, per si qua salutis

Est tibi cura meæ, protinus affer opem.

Scis Dea, cum libeat Divos exurere, ut hujus

Accendas nitidis lampadas ex oculis.

Sentiat illa prius raptæ discordia formæ,

Cui riget in gelido pectore dura silex.

Cedere quæ nescit lacrymis, precibusque moveri,

Ingenti pretio cui placet empta Venus;

Huic macies niveos deformet turpiter artus,

Occupet & roseas ruga sitisque genas.

At mea perpetuo lætetur vere puella,

Quam tantum pietas quam benefacta juvant.

Illa quidem vatum observat pia numina Musas,

Et cupit ut de se fama loquatur anus:

Muneribusque sacros novit præferre Poëtas,

Poscit amatorem nec gravis æræ suum.

Ergo fluant molles humeris volitentque capilli,

Stillet & Assyrio myrtea rore coma.

Nulla queat nitidam labes corrumpere frontem,

Neve mihi tantis fit superesse malis.

Neu videam obscuras oculos inducere nubes,

Neu sparsa indignis candida colla notis.

Quid precor ali demens? venti temeraria jactant

Vota: Venus nostras negligit ipsa preces.

Jam cædit niveo tam grata è corpore forma,

Jam jam puniceus deserit ora color,

## ANDRÆ NAUGERII.

## DE CUPIDINE ET HYELLA.

**F**Lorentes dum forte vagans mea Hyella per hortos  
 Texit odoratis lilia cana rosas ;  
 Ecce rosas inter latitantem invenit Amorem,  
 Et simul annexis floribus implicuit.  
 Luctatur primo ; & contra nitentibus alis  
 Indomitus tentat solvere vincla puer.  
 Mox ubi lacteolas, & dignas matre papillas  
 Vidit, & ora ipsos nata movere Deos ;  
 Impositosque comæ ambrosios ut sensit odores,  
 Quosque legit diti messe beatus Arabs :  
 I, dixit, mea quære novum tibi mater Amorem ;  
 Imperio sedes hæc erit apta meo.

## AD NOCTEM.

**N**OX bona, quæ tacitis terras amplexa tenebris  
 Dulcia jucundæ furta tegis Veneris ;  
 Dum propero in caræ amplexus, & mollia Hyellæ  
 Oscula, tu nostræ sis comes una viæ.  
 Neve aliquis nostros possit deprendere amores,  
 Aëra coge atras densius in nebulas.  
 Gaudia qui credit cuiquam sua, dignus ut unquam  
 Dicier illius nulla puella velit.  
 Non sola occultanda cavis sunt Orgia cistis,  
 Solave Eleusinæ sacra silenda Deæ :  
 Ipse etiam sua celari vult furta Cupido ;  
 Sæpius & poenas garrula lingua dedit.

Una

Una meos, quos & miserata est, novit amores  
 Officiis nutrit cognita fida suis;  
 Hæc, quæ me foribus vigilans expectat in ipsis,  
 Inque sinum dominæ sedula ducit anus.  
 Hanc præter, tu sancta, latent qua cuncta silentque  
 Tu, Dea, sis flammæ conscia sola meæ;  
 Quæque libens adstat nostrorum testis amorum  
 Nobiscum totâ nocte lucerna vigil.

## AD GELLIAM RUSTICANTEM.

**D**UM te blanda tenent æstivas rura per umbras,  
 Deliciis nimium rura beata tuis;  
 Ecqua tui, mea lux; tangit te cura poetæ?  
 An meus è toto pectore cessit amor?  
 Cessit amor certe: soliti cessere calores:  
 Absentis meminit nulla puella viri.  
 Non ita concussæ versantur in arbore frondes,  
 Quum gravis adversum verberat aura nemus,  
 Quam facile instabilem permutat femina mentem.  
 Exclusus queritur, qui modo carus erat.  
 Non sic Penelope, non sic Capaneia conjux  
 Antiqui meruit temporis esse decus.  
 Altera defuncti mœrens ad busta mariti  
 Noluit abrepto vivere sola viro:  
 Altera bis denos potuit durare per annos,  
 Dum cupidos cautâ detinet arte procos.  
 Femina nunc varias tantum connectere fraudes  
 Novit, & in nullâ certa manere fide.  
 Quid queror hæc demens? duræ procul ite querelæ:  
 Ite: decent tristes tristitia verba viros.  
 Lætus ego: hos neque enim sequitur mea Gellia mores;  
 Mutare incertos nec solet illa toros.

Quin



Quin & mansit amor: soliti mansere calores:

Absentis meminit nostra puella viri.

Multa tamen timeo: tu multa ignosce timenti.

Hei mihi pars nostro nulla timore vacat.

Ah quoties vereor, dum picta per arva vagaris,

Dum rutilæ tervis florida ferta comæ;

Ne ruat è summis in te Saturnius astris,

Sive alii cuivis grata rapina Deo.

Pressit Amymonen mediis Neptunus in arvis,

Dum premeret summum virginis-urna caput.

In mediis Io campis perpeffa Tonantem est,

Horridaque hirsuta cornua fronte tulit.

Hinc quoque Tartareo raptam Deoïda curru

Abstulit infernus in sua regna Pater.

Sidonis errabat nitidos Europa per agros,

Quum medium ficto per mare vecta bove est.

Non tamen hos tantum caussantur prata timores:

Hei mihi quam multos dat quoque silva metus!

Hinc habitant Satyrique, & agrestia numina Panes,

Et timor errantum Faunus Hamadryadum.

Hic versa in virides Daphne Peneïa frondes:

Hic fera mutato Parrhasis ore fuit.

Hic & semicaper spreta Nonacrius Ægla

Arcadicæ forma Virginis incaluit.

Quod si tecum iisdem pariter versarer in arvis,

Et domus unanimes clauderet una duos;

Non ego Cœlicolûm fraudes, non furta timerem:

Undique me socio, Gellia, tuta fores.

Si versa est Daphne; Sicula Proserpina ab Ætina

Si vecta est Stygiis in nova regna rotis;

Quid mirum? facile est deceptas fraude puellas

Fallere, nullius quas tueatur amor.

Ipsè

Ipse ego perpetuo tecum, mea vita, manerem :  
 Sic possem nullos extimuisse Deos.  
 Sæpe pererrabat tacitos Atalanta recessus :  
 Tuta tamen fido Mimalione fuit.  
 Cingeret obsessos seu curva indagine colles,  
 Seu cuperet sævas cominus ire feras ;  
 Hærebat lateri semper comes ille, nec unquam  
 A domina lato longius ungue fuit.  
 Ergo huic non summi fraudes nocuere Tonantis,  
 Inque suo nullos sensit amore dolos.  
 Sic ego per silvas tecum & per prata vagarer :  
 Grata essent sine te gaudia nulla mihi.  
 Nunc pariter nitida recubare juvaret in umbra,  
 Et capere in viridi somnia grata toro.  
 Nunc pariter nuda fontes invadere fura,  
 Torrida dum siccus finderet arva Canis.  
 Sæpius in silvis lepores captare fugaces,  
 Et volucres fictis fallere carminibus.  
 Sæpius in denso convicia dicere luco,  
 Et madidas verno flore ligare comas.  
 Sæpius umbroso choreas ductare sub antro,  
 Quum daret agrestes tibia pulsa sonos.  
 Ah quoties tales inter, mea Gellia, lusus  
 Injicerem cupidas in tua colla manus :  
 Dulciaque è roseis furarer basia labris,  
 Basia mi cunctis anteferenda bonis.  
 O niveam, si qua hæc referet mihi gaudia, lucem !  
 Grator optatis non erit ulla meis.  
 Semper Erythræis signabitur illa lapillis :  
 Semper erit sacros inter habenda dies.  
 Nunc, quoniam tecum me non licet esse, caveto,  
 Mutuus extincto ne cadat igne calor.

## JO. JOVIANI PONTANI.

## AD BACCHUM.

**N**UNC hederis fertisque novos innecte corymbos.  
 Nunc tua circumdant tempora, Bacche, rosæ:  
 Nunc viridis flavas suspendat pampinus uvas;  
 Ingeminetque novas ebria mensa dapés:  
 Nam mea, Parnassi rediens è collibus, audet  
 Ludere Romanis Calliopea modis;  
 Inque choro juvenum molli saltante puellâ,  
 Sopitos longo tempore ferre sales:  
 Aoniumque movet circum tua pocula plectrum,  
 Evocæ Bacche, canens; ad tua festa veni.  
 Tu quoque nobilibus pretium jam, Laure, poëtis,  
 Laure, tuum nobis porrige fronde decus.  
 Et mea Phœbeis ornentur tempora fertis,  
 Ut merear nomen vatis habere novi.  
 Stultus ego, fieri credam qui fronde poëtam!  
 Non Laurus vatem, sed sua Musa facit.

## ANGELO POLITIANI.

## DE OVIDII EXILIO ET MORTE.

**E**T jacet Euxinis vates Romanus in oris:  
 Romanum vatem barbara terra tegit.  
 Terra tegit vatem, teneros qui lusit amores,  
 Barbara, quam gelidis alluit Ister aquis:

Nec

Nec te Roma pudet, quæ tanto immitis alumno  
 Pectora habes ipsis barbariora Getis?  
 Equis io Musæ Scythicis in finibus ægro  
 Tædia qui morbi demeret, ullus erat?  
 Ecquis frigidulos qui lecto imponeret artus,  
 Aut qui dulciloquo falleret ore diem?  
 Aut qui tentaret salientis tempora venæ,  
 Aut fomenta manu qui properata daret?  
 Conderet aut oculos media jam morte natantes,  
 Aut legeret summam qui pius ore animam?  
 Nullus erat, nullus; veteres tu dura sodales  
 Heu procul à Ponto Martia Roma tenes!  
 Nullus erat: procul ah conjux, parvique nepotes,  
 Nec fuerat profugum nata sequuta patrem!  
 Scilicet immanes Bessi, flavique Coralli,  
 Aut vos pelliti faxea corda Getæ;  
 Scilicet horribili dederit solamina vultu  
 Sarmata ab epoto sæpe vehendus equo,  
 Sarmata cui rigidam demisso in lumina frontem  
 Mota pruinoso tempora crine sonant.  
 Sed tamen & Bessi extinctum, & flere Coralli,  
 Sarmataque, & durus contudit ora Getes.  
 Extinctum & montes flebant silvæque feræque,  
 Et fesse in mediis dicitur Ister aquis.  
 Quin etiam pigro concretum frigore Pontum  
 Nereïdum lacrimis intepuisse ferunt.  
 Accurrere leves Paphia cum matre volucres,  
 Arfuroque faces supposuere rogo.  
 Quem simul absumpsit rapidæ violentia flammæ,  
 Relliquias tecto composuere cado.  
 Impositumque brevi signarunt carmine saxum:  
 Qui jacet hic teneri doctor amoris erat.

48 LUDOVICI AREOSTI

Ipſa locum latè ſancto Cytherea liquore  
Irrorat niveâ terque quaterque manu.  
Vos quoque Pierides vati libaſtis adempto  
Carmina, ſed noſtro non referenda ſono.

LUDOVICI AREOSTI.

DE DIVERSIS AMORIBUS.

**E**ST mea nunc Glycerè, mea nunc eſt cura Lycoris;  
Lyda modò meus eſt, eſt modò Phyllis amor.  
Primas Gaura faces renovat, movet Hybla recentes;  
Mox ceſſura igni Gaura, vel Hybla novo.  
Nec mihi diverſo, nec eodem tempore ſæpe  
Centum veſano ſunt in amore ſatis.  
Ut ſum ſi placeo, me me ſic urere Virgo, *utere*  
Seu grata es, ſeu jam grata futura mihi.  
Hoc olim ingenio vitales hauſimus auras,  
Multa cito ut placeant diſplicitura brevi.  
Non in amore modo mens hæc, ſed in omnibus impar  
Ipſa ſibi longâ non retinenda morâ,  
Sæpe eadem Auroræ roſeâ furgente quadrigâ  
Non eſt, quæ fuerat ſole cadente mihi.  
O quot tentatas illa eſt verſata per artes  
Festivum impatiens rettulit unde pedem!  
Cum primum longos poſui de more capillos,  
Eſtque mihi primum tradita pura toga,  
Hæc mihi verbosâs ſuaſit perdiſcere leges,  
Amplaque clamorosi quærere lucra fori.  
Atque eadem optatam ſperantem attingere metam,  
Non ultrâ paſſa eſt improba ferre pedem;

Meque

Meque ad Parnassum vocat, Aoniamque Aganippen,  
Aptaque virgineis mollia prata choris :

Meque jubet docto vitam perducere cantu,  
Per nemora illa avidis non adeunda viris.

Jamque acies, jam facta ducum, jam fortia Martis  
Concipit æternâ bella canenda tubâ.

Ecce iterum malè sana, inquit, quid inutile tento  
Hoc studium ? vatem præmia nulla manent.

Meque aulæ cogit dominam tentare potentem  
Fortunam obsequio servitioque gravi.

Mox, ubi pertæsum est male grati principis, illam  
Non tulit hic resides longius ire moras.

Laudat & æratis ut eam spectabilis armis,  
Et meream forti conspiciendus equo.

Et mihi sunt aptæ vires, patiensque laborum  
Corpus, & has possunt tela decere manus.

Nec mora, bellator sonipes & cuncta parantur  
Instrumenta acri commoda militiæ.

Iratuque pio celebri sub principe miles  
Expecto horrifonæ Martia signa tubæ.

Jam neque castra placent, rursus nec classica nobis ;  
Ite procul Getici tela cruenta Dei.

Humanone truce mædabo sanguine dextram,  
Ut meus assiduo sub bove crescat ager ?

Ut breve mortis iter sternam mihi, ut horridus umbram  
Horreat immitem portitor ipse meam ?

Atque aliquis placidâ aspiciens à sede piorum  
Me procul Eumenidum verbera sæva pati,

En qui Musarum liquit grata otia, dicat,  
Anxius ut raperet munere Martis opes :

Manibus & fociis narret me digna subisse  
Supplicia, haud ullâ diminuenda die ?

Antra mihi placeant potius, montesque supini,  
 Vividaque irriguis gramina semper aquis:  
 Et Satyros inter celebres Dryadasque puellas  
 Pleetra mihi digitos, fistulâ labra terat.  
 Dum vaga mens aliud poscat, procul este Catones,  
 Este, quibus parili vita tenore fluit;  
 Quos labor angat, iter cupientes limite certo  
 Ire sub instabili cuncta novante polo.  
 Me mea mobilitas senio deducat inertî,  
 Dum studia haud desint, quæ variata juvent.  
 Me miserum quod in hoc non sum mutabilis uno,  
 Quando me assiduâ compede vincit amor!  
 Et nunc Hybla licet, nunc sit mea cura Lycoris,  
 Et te, Phryna, modò, te modò, Lyda, velim;  
 Aut Claram, aut Glycerem, aut unam, vel sæpe ducentas  
 Depeream; igne tamen perpete semper amo.

## AD PETRUM BEMBUM.

**M**E tacitum perferre meæ peccata puellæ?  
 Me mihi rivalem prænituisse pati?  
 Cur non vi patiarque fodi mea viscera ferro,  
 Diffimulatò etiam, Bembe, dolore jubes?  
 Quin cor, quin oculosque meos, quin erue vel quod  
 Charius est, si quid charius esse potest.  
 Deficientem animam, quod vis, tolerare jubeto;  
 Dum superet dominæ, me moriente, fides.  
 Obsequiis alius faciles sibi quærat amores,  
 Cautius & vitet tetrica verba nece,  
 Qui spectare suæ valeat securus amicæ  
 Non intellectâ livida colla notâ;

Quique

Quique externa toro minimè vestigia pendat,  
Dum sibi fit potior parvo in amore locus.  
Me potius fugiat, nullis mollita querelis,  
Dum similet reliquos Lydia dura procos.  
Parte carere omni malo, quàm admittere quemquam  
In partem : cupiat Jupiter ipse, negem.  
Tecum ego mancipiis, mensâ, lare, vestibus utar ;  
Communi sed non utar amice toro.  
Cur ea mens mihi sit, quæris fortasse, tuaque  
Victum iri facili me ratione putas.  
Ah! pereat qui in amore potest rationibus uti :  
Ah! pereat qui ni perditè amare potest.  
Quid deceat, quid non, videant quibus integra mens est :  
Sat mihi, sat dominam posse videre meam.



1891

REVISED

P O R T A M E N T O

M U N I C I P A L

1891

1891

1891

1891

1891

1891

1891

1891

1891

S E L E C T A

P O E M A T A  
I T A L O R U M.

P A R S V.

M. A N T. F L A M I N I I

O D Æ,

A D A G E L L U M S U U M.

**U**M B R Æ frigidulæ, arborum fufurri,  
 Antra roscida, discolore picta  
 Tellus gramine, fontium loquaces  
 Lymphæ, garrulæ aves, amica Musis  
 Otia : ô mihi si volare vestrum  
 In finum superi annuant benigni :  
 Si dulci liceat frui recessu,  
 Et nunc ludere versibus jocosis,  
 Nunc somnum virides sequi per umbras,  
 Nunc mulgere manû meâ capellam,  
 Lacteoque liquore membra sicca  
 Irrigare per æstum, & æstuosis  
 Curis dicere plurimam salutem :  
 O quæ tunc mihi vita, quàm beata,  
 Quàm vitæ similis foret deorum !

At vos ô Heliconiæ puellæ,  
 Quæis fontes, & amœna rura colat,  
 Si charâ mihi luce chariores  
 Eritis, jam sperescite obsecrans;  
 Meque urbis strepitu tumultuosa  
 Ereptum, in placido locare agello.

## A D E U N D E M.

Venuste agelle, tuque pulchra villula,  
 Mei parentis optimi  
 Olim voluptas & quies gratissima  
 Fuistis: at simul senex  
 Terras reliquit, & beatas coelitum  
 Petivit oras, incola  
 Vos alter occupavit, atque ferreus  
 Amabili vestro sinu  
 Me lachrymantem ejecit, & charis procul  
 Abire iussit finibus.  
 At nunc, amica rura, vos reddit mihi  
 Farnesii benignitas.  
 Jam vos revisam, jam juvabit arbores  
 Manu paternâ confitas  
 Videre, jam libebit in cubiculo  
 Molles inire somnulos.  
 Gaudete fontes, rivulique limpidi;  
 Heri vetusti filius  
 Jamjam propinquat, vosque dulci fistulâ  
 Mulcebit, illâ fistulâ  
 Quam vestro Iolæ donat Alcon maximus,  
 Ut inclyti Farnesii  
 Laudes canentem Naiadum pulcher chorus  
 Miretur, & Pan capripes.

## AD ANTONIUM MIRANDULAM.

**A**Ntoni venerande, animâ mihi charior ipsâ,  
 Romamne semper lincolis?

Te nec avaritiæ morbus, nec fervida honorum  
 In urbe detinet fitis.

Vis igitur properemus ubi Donadula Musis  
 Amica præbet otia?

Hunc agrum dat habere tibi Farnesius heros;

Quo nil amœnius, neque

Fertilius, Baccho & Cereri gratissima tellus,

Togata cernit Gallia.

Has age delicias & dulcia rura petamus,

Quo pulcher Autumnus vocat,

Et Bacchus pater, & virides Pomona per herbas

Cum Gratiis ducens choros.

Jam videor tecum patulâ projectus in umbrâ

Ad lucidi fontis caput,

Discere nubigenam quæ mille coloribus Irim

Vis pingat, imbris nuntiam:

Cur cadat æstivo glacialis fidere grando;

Quis tantus excitet furor

Ventos, horrifonas curvato gurgite ut undas

Ad alta mittant fidera:

Altera cur auro tellus fluat, altera ferro,

At illa gemmis splendeat.

Felix qui rerum causas, Mirandula, nôsti,

Et eleganter explicas.

Tu docti pridem malè culta vireta Lycæi,

Post longa primus secula

Efficis ut prisco revirescant more; quod omnis

Miretur ætas postera,

Teque parem dicat magnis heroibus illis,

Quos ipsa Pallas artibus

Erudiens claris dat adhuc splendere per orbem,

Ut pulchra cœli lumina

AD SUAVISSIMUM SODALEM SUUM.

Senex palustribus loquaciôr ranis,  
Turbâque semper garrulâ cicadarum,

Tu nunc relictis villulis Capenatûm,

Sinu Bononiæ educaris in dulci,

Qua civitate delicatior nulla est;

Vitamque lætam vivis atque felicem,

Fruens Morono strenuoque Cervino,

Quos publicarum cura nobilis rerum  
Ardensque ad alta sidera evehit virtus.

At quum reversus ad tuos agros tristi

Silentio miser otioque marcesces,

O quàm vicem tuam dolebis! & cœli

Lucem nitentem quàm videbis invitus,

Quum vita morte jam videbitur pejor!

Senex dicacule, & facete nugator,

Festivitatis magne amator urbanæ,

Dic, caprimulgos inter atque fossores,

Et senticosa rura gentis insulsæ

Quid dulce poterit esse, quidve jucundum?

Cum quo jocando tunc dabitur ineptire?

Quis elegantes ventitabit ad cœnas?

Cui post Falerna vina, de malo & sacro

Libro venena versuum propinabis?

Megara,

Megæra, non Camœna quos tibi dicat,  
 Ut iis acerba pestilentior peste  
 Tuos sodales eneces, quibus centum  
 Abeffe millia passuum nihil prodest.  
 Nam charta tetro infecta carminum tabe,  
 Quam sæpe doni maximi loco mittis,  
 Modis legentium corda polluit miris,  
 Ut liberare languidos suis succis  
 Nec ipse Phoebus, ipsa nec Salus possit.  
 At tu poëta lethifer tuos quæso  
 Amiculos ne perde peste tam dira,  
 Sed pessimis jam pone versibus finem;  
 Sævire vel si pergis, hostibus sævi.

## C A T E L L A

## A D R E G I N A L D U M P O L U M

**C**UR me, Pole, tuâ venire ad urbem  
 Lesticâ prohibes? tuæ quid (oro)  
 Summæ participem benignitatis  
 Esse non pateris? Canes bonorum  
 Heroum comites fuere semper:  
 Et cœlum canis incolit supremum  
 Inter sidera: nec polus, beata  
 Sedes coelicolûm, suam catellam  
 Dedignatur habere secum: at ipsa  
 Sum despecta tibi, nec unum apud te  
 Angulum valeo impetrare. Verùm  
 Si nostram vacet æstimare formam,  
 Non indigna tuo favore credar.  
 Est pilus mihi lucidus, venustæ

Pendent

## 58 M. ANT. FLAMINI

Pendent auriculæ; nigris ocellis,  
 Et caudæ placeo júbis comatæ.  
 Nec sum corpore vâstâ, nec figurâ  
 Tam brevi, ut videar puellularam  
 Comes dignior esse quam virosum.  
 Nec turpi scabie laboro, nec sunt  
 Invisi pulices mihi molesti.  
 Nec sum prorsus inutilis futura,  
 Si lassam recreas vehisque tecum.  
 Nam pedes tibi suaviter fovebo,  
 Qui jam frigoribus rigent acutis.  
 Nec verò timeas, huto refertâ  
 Quod viâ affiduè ambularim: amicus  
 Et cliens tuus optimus Morilla  
 Me suis manibus piè ac benignè  
 Puro flumine terque quaterque lavit;  
 Et mundâ dedit esse mundiozem  
 Sponsâ, quam bona mater ad maritum  
 Vult deducere nuptiis paratis.  
 Quod si non satis hæc videntur esse  
 Ad flectendum animum tuum, catelli,  
 Ah! nimis miseri mei catelli  
 Te precor moveant; tenella pleno  
 Quos gestans utero pedes movere  
 Vix quo amplius; & tamen necesse est  
 Milliaria singulis diebus  
 Multa conficiam misella, ni te  
 Volo linquere: sed prius vel istis  
 Optem filiis meis sepulchrum  
 Fiant viscera matris, ipsa præda  
 Optarim prius esse vel luporum,  
 Quàm te, maxime Pole, derelinquam.

AD GALATEUM FLORIMONTIUM  
PHILALETHEM.

**H**UC ades Galatee; quid moraris?  
Est brevis via, sæpiusque dicis,

Cras ad vos veniam, boni sodales;

Nec venis tamen. An putas licere

Amicis dare verba? nos pudendum

Et contra officium, tuoque bello

Id cognomine prorsus arbitramur

Indignum; hoc nisi vis inepte abuti.

Huc ades Galatee; quid moraris?

Remiges Ithaci vagantis olim

Lotos detinuit Libyssa in ora:

Ut mulcralibus hæret usque & usque

Musca lactis amore, te, beate,

Senex, quæ retinet domi voluptas?

Ecquid delicias tuæ Sueffæ

Præfers deliciis mei Casertæ?

Deliras Galatee; nam Sueffâ

Longè pulchrior est amœniorque

Campanæ regionis hic ocellus;

Quem jocis comitata Gratiisque

Venus, posthabitâ Cnido, Paphoque,

Semper incolit; & suos amores,

Suas delicias fatetur; ergo

Huc ades Galatee; quid moraris?

Hic sol splendidius nitet, Favoni

Spirat mollius aura, suaviorem

Fert rosam & violam benigna tellus:

Hic est dulcior uva, dulciores

Ficus,



60 M. A N T. F L A M I N I I

Ficus, & pepones: oliva baccas

Non solum patriæ tuæ, sed ipsum

Venafrum superare gaudet: ergo

Huc ades Galatee; quid moraris?

Ecce, caseolos tibi recentes,

Atque hœdos geminos Hyella donat,

Formosissima caprimulga, Pani

Non impar caprimulga, sive cantat,

Seu levi calamo terit labellum.

Huc ades Galatee; quid moraris?

En, hospes meus, optimus Caserta,

Quo Campania terra gloriatur,

Jam desiderium tui morantis

Nequit ferre: puella sic amantem

Votis, ominibusque, lachrymisque

Absentem vocat. Ah! tuum Casertam

Ne quæso cruciari perge, sed jam

Huc ades Galatee; quid moraris?

Is quidem impatiens moræ molestæ

Ad te jam properasset, ægra membra

Ni vis debilitaret ipsa morbi:

Et tu jam diu abesse sustinebis,

Qui solâ potes alloquutione

Febrim pellere candido sodali?

Huc ades Galatee; quid moraris?

Non Phœbus (mihi crede) filiusve

Phœbi cantibus hunc levaret, herbis

Aut salubribus, æquè ut ipse vultu

Jucundo, & lepidâ dicacitate:

Ergo si tibi cura chari amici est,

Huc ades Galatee; quid moraris?

Te

Te vocat domus ipsa, quam solebas  
 Joci, & salibus, facetiisque  
 Tuis exhilarare; te loquaces  
 Lymphæ; te vocat hortulus venustus,  
 Tuæ tam memor irrigationis,  
 Quam lactis memor est tenellus infans.  
 Huc ades Galatee; quid moraris?

Non pandunt nitidæ rosæ per agrum  
 Formosos calathos, hiare tardant  
 Flores luteolique cærulique,  
 Albi, & purpurei: suos honores  
 Agellus tibi scilicet reservat.  
 Huc ades Galatee; quid moraris?

Si venis citò, carminum libellum  
 Ostendam tibi, quem legens putabis  
 Te vesci ambrosiâ, & tibi replei  
 Ora nectare: sin mea procellæ  
 Terunt irrita verba, mox Iambos  
 Exspecta horribiles, amariores  
 Felle, absinthio, & omnibus venenis,  
 Quotquot Thessala nutrit ora, quotquot  
 Ponti terra creat. Sed eja age, eja.  
 Huc ades Galatee; quid moraris?

### AD PETRUM CARNESECUM.

**O** Dulce hospitium! ô lares beati!  
 O mores faciles! ô Atticorum  
 Conditæ salæ colloquutiones!  
 Quam vos ægro animo, & laborioso,  
 Quantis cum lachrymis miser relinquo!  
 Cur me sæva necessitas abire,

## M. ANTEFLAMINI

Cur vultum, atque oculos, jocosque suaves

Cogit linquere tam venusti amici?

Ah! reges valeant, opesque regum,

Et quisquis potuit domos potentibus

Anteponere candidi sodalis.

Blandis alloquiis, facetiisque.

Sed quanquam procul à tuis ocellis,

Jucundissime Carnesce, abibo

Regis imperium meum sequutus;

Non loci tamen ulla temporisve

Intervalla tuos mihi lepores,

Non mors ipsa adimet: manebo tecum,

Tecum semper ero, tibi que semper

Magnam partem animæ meæ relinquam,

Mellite optime, mi venuste amice.

## AD FRANCISCUM TURRIANUM.

**P**ER tui Ciceronis & Terenti

Scripta te rogo, Turriane docte,

Ut postridie, adhuc rubente mane,

Quum fecundat humum decorus almo

Rore Lucifer, exiens Giberti

Domo, ad me venias equo citato,

Ne tibi igneus antevertat æstus.

Hic fontem prope vitreum, sub umbra

Formosi nemoris, tibi parabo

Prandium Jove dignum: habebis & lac

Dulce, & caseolum recentem, & ova,

Et suaves pepones, novaque cera

Magis lutea pruna; delicatos

Addam pisciculos, nitens salubri.

Quos alit mihi rivulus sub mada.  
 Ad mensam vetulus canet colonus  
 Jocosissima carmina, & coloni  
 Quinque filiolæ simul choreas  
 Plaudent virgineo pede. Inde ocellos  
 Ut primùm sopor incubans gravabit,  
 Jucundissime amice, te sub antum  
 Ducam, quod croceis tegunt corymbis  
 Serpentes hederæ, imminensque laurus  
 Suaviter foliis susurrat: at tu  
 Ne febrim metuas, gravedinemve;  
 Est enim locus innocens; ubi ergo  
 Hic satis requieveris, legentur  
 Lusus Virgiliæ, & Syracusani  
 Vatis, quo nihil est magis venustum,  
 Nihil dulcius, ut mihi videtur.  
 Quam se fregerit æstus, in virenti  
 Convalle spatiabimur, sequetur  
 Brevis cœna, redibis inde ad urbem.

## AD PETRUM VIPERAM

**F**ortunate senex, senex beate,  
 Quo te carmine prædicare possim?  
 Est domus tibi parva, sed supellex  
 Munda, lectulus elegans, tabellæ  
 Quæ suis oculos vel eruditos  
 Figuris teneant, cubiculumque  
 Ornatum satis, & satis librorum  
 Magna copia, qui bene ac beatè  
 Docent vivere; mensa pura, victus  
 Simplicissimus: est tibi fidelis

Minister

Minister vetulus, sodalis idem,  
 Quicum fallere tempus, ~~se~~ joculari  
 Soles suaviter; est enim facetus  
 Senex, blandus, amabilis, disertus.  
 Hæc ad commoda tam beata magnam  
 Adjungit cumulum hortulus venustus,  
 Quem vel Corytius senex agello  
 Suo præferat, omniumque dicat  
 Pater Nausicæ hortulorum ocellum.  
 Adde quod viridis tibi senectus;  
 Quod mens candida, candidique mores,  
 Quod festertia quinque ab urbe missa  
 Sunt fatis tibi singulos per annos.  
 Abest ambitio, timorque lethi,  
 Et quicquid miseram facit senectam:  
 Nam Deo pietas amica, vitæ  
 Et morti bona cuncta pollicetur.  
 Fortunate senex, senex beate,  
 Quo te carmine prædicare possim?

#### AD LUDOVICUM BECATELLUM.

**N**E vivam, bone Ludovice, ni me  
 Et mei miseret tuique; nam quis  
 Deus, vel mala fors, utrumque semper  
 Captivum tenet urbis in tumultu.  
 Si nos ambitio, pecuniæve  
 Augendæ premeret fitis, tacerem:  
 Sed quum divitiis honoribusque  
 Magnis otia præferamus, ah! cur  
 Romam præferimus meo Lavino  
 Albinoque tuo? O venusti agelli,

Mufarum

Musarum domus, & quies laborum,  
 Tam longe mihi vita num manebit,  
 Ut meos fatiare possim ocellis  
 Vestro dulci & amabili decore?  
 O tandem placida, & beata nura,  
 Nos charum accipite in sinum, nec ulla  
 Vis avellere possit; hic & hœdo,  
 Et pomis, oleâque, pensilique  
 Uvâ nos alite; & simul supremum  
 Tempus venerit, ossa sub virenti  
 Lauri condite, quâ fugit per herbas  
 Suavem rivulus excitans susurrum.

## IN H. Y. E. L. L. A. M.

**O** Quæ venusta Sirmionis littora  
 Colis, Catulli candida  
 Musa, & beatam Citreï sylvam doces  
 Pulchram sonare Lesbiam;  
 En nos Taburni in valle floridâ tibi  
 Aram virenti è cespite,  
 Et terna melle, terna lacte ponimus  
 Spumante plena cymbia;  
 Et te vocamus voce supplici, Dea,  
 Ad sacra parva, sed pia;  
 Ut nostram Hyellam fistulâ dulci canas,  
 Quâ nulla rure pulchrior  
 Vixit, nec ulla vivet ullo tempore  
 Cani puella dignior.  
 At tu vireta amœna, & undas limpidi  
 Relinque Benaci libens:

Et hic Favonî lenis aura murmurat,  
 Et hic avium dulci sono  
 Mulcetur aer ; prata floribus nitent ;  
 Purique fontes vitreis  
 Lymphis decentes frigerant nemorum Deas,  
 Cum fessa damarum necē,  
 Et ic̄ta luce fervidâ solis redit  
 Pudica Dianæ cohors.  
 Quare, ô puella candida, huc aditum feras,  
 Nobisque versus dicito,  
 Per quos Hyella vivat, usque dum tua  
 Formosa vivet Lesbia.

## HYMNUS IN AURORAM.

**E**CCE ab extremo veniens Eoo  
 Roscidas Aurora refert quadrigas,  
 Et sinu lucem roseo nitentem  
 Candida portat.  
 Ite pallentes tenebræ sub Orcum ;  
 Ite, quæ totâ mihi nocte diros  
 Manium vultus, mihi dira semper  
 Somnia fertis.  
 Da lyram vati puer ; ipse flores  
 Sparge, dum canto : Bona Diva, salve,  
 Quæ tuo furvas radiante terras  
 Lumine lustras.  
 En tibi suaves violas, crocumque,  
 En odorati calathos amomi :  
 Surgit, & nostros tibi dulcis aura  
 Portat odores.

Deferat

Deferat laudes utinam precesque,  
 Quas tibi supplex mea Musa fundit,  
 Jam pio sanctos bene docta divos  
 Tollere cantu.

Quis tuam dignè celebrare lucem  
 Possit, ô almæ genitrix dei?  
 Quis tuam formam, ô Dea ante Divas  
 Pulchrior omnes?

Ut genas cœlo roseas, comamque  
 Auream profers, tibi fulva cedunt  
 Astra, decedit rutilante victa  
 Luna decore.

Te sine æternâ jaceant sepulti  
 Nocte mortales; sine te nec ullus  
 Sit color rebus, neque vita doctas  
 Culta per artes.

Tu gravem pigris oculis soporem  
 Excutis; lethi sopor est imago:  
 Evocans tectis sua quemque lætum ad  
 Munia mittis.

Exilit stratis rapidus viator,  
 Ad jugum fortes redeunt juvenci;  
 Lætus in sylvam properat, citato  
 Cum grege, pastor.

Ast amans charæ thalamum puellæ  
 Deferit flens, & tibi verba dicit  
 Aspera, amplexu teneræ cupito a-  
 vulsus amicæ.

Ipsæ amet noctis latebras dolosæ,  
 Me juvet semper bona lux; nitentem  
 Da mihi lucem, Dea magna, longos  
 Cernere in annos.



## IN HYELLA M.

**A** Deste ô Satyri, bonique Fauni, &  
 Quicquid capripedum est ubique Divûm,  
 Mecum, numina sancta, lachrymate.  
 Vestra mortua bella caprimulga est,  
 Illa candida, bella caprimulga,  
 Quæ vobis bona liba factitabat,  
 Quæ dulcem mihi caseum premebat,  
 Quæ tam carmina bella cantitabat.  
 Tecum delicias, Hyella, ruris,  
 Tecum gaudia ruris abstulisti.  
 Te formosulus hortus ille, quem tu  
 Lætum virgineâ manu rigabas,  
 Te fons profiliens specu è virenti,  
 Quem illo floridulo ore basiabas,  
 Te lugent nemora, atque vallis, in quâ  
 Pascebas niveas tuas capellas;  
 Nunc pictas Dryadis legens corollas,  
 Nunc dulci resonans avenâ in antro.  
 At tu, si sapis, ô puella Ditis,  
 Huic dato nitidas tuas capellas;  
 Hac pascente domum tuæ capellæ  
 Ferent ubera tentiora, lacque  
 Longè dulcius effluet papillis.  
 Nullam rura tulere doctiorem  
 Aut miscere coagula, aut decoras  
 Molli texere fiscinas hibisco,  
 Aut per florida prata cum puellis  
 Choros ducere obstupente pago.

A N-

## ANGELI POLITIANI.

**J**A M cornu gravidus præcipitem parat  
 Afflatus subitis frigoribus fugam  
 Autumnus pater, & deciduas finu  
 Frondes excipit arborum.

Cantant emeritis, Bacche, laboribus  
 Te nunc agricolæ: sed malè sobrios  
 Ventosæ querulo murmure tibiz  
 Saltatu subigunt frui.

Nos anni rediens orbita sub jugum  
 Musarum revocat dulce serentibus,  
 Porrectisque monent sidera noctibus  
 Carpanus volucrum diem.

I mecum docilis turba biverticis  
 Parnassi rapidis per juga passibus;  
 Expers quo senii nos vocat, & rogi,  
 Consors gloria cœlitum.

Nam me seu comitem, seu, juvenes, ducem  
 Malitis, venio; nec labor auferet  
 Quærentem tetricæ difficili gradu  
 Virtutis penetralia.

## JO. AURELII AUGURELLI.

## GRATIARUM CONVIVIUM.

**I**Nvitat olim Bacchus ad cœnam suos  
 Comon, Jocum, Cupidinem.  
 Discumbit unà Liber, atque Amor; Jocus  
 Comosque contrà proximè.

Illis decentes subministrant Gratiaë  
 Grati saporis pocula ;  
 Succosque miscent, & venena temperant  
 Multi vicissim palmitis.  
 Inusitato proluunt se nectare  
 Plenè sodales uvidi,  
 Ac fortè justo plus parum dulcedine  
 Lactante capti ingurgitant.  
 Hic inter ægros incipit verbis Deos  
 Ridenda primùm rixula.  
 Graves Amori Bacchus objectat dolos,  
 Quibus frequenter utitur.  
 Illi Cupido vana ludens gaudia  
 Blæfasque voces exprobrat.  
 Como Jocus risus leves, Comus Joco  
 Sales ineptos objicit.  
 Mox in capillos atque ocellos advolant,  
 Manusque nectunt parvuli.  
 Adfunt sorores illico tres perditis,  
 Pacemque suadent optimæ.  
 Tandem fagittas & pharetram clanculùm  
 Bacchus Cupidini involat.  
 At vi nitentem floridâ Jocus comâ  
 Como coronam diripit.  
 Sic inde scissis crinibus cedens Amor  
 Matri fit obviam ebrius.  
 Comus facetos ad viros se proripit  
 Per angiportum devium.  
 Bacchus Jocusque contrahunt foedus, brevi  
 Mox desitutum tempore.  
 Ast ut propinquans sordidum natum mero  
 Venus madentem conspicit,

Irata secum, limpidum ad fontem manu  
 Apprensum & hærens attrahit.  
 Huic rore puro protinus lavat sacri  
 Crines solutos verticis :  
 Pectitque, & ægrè extricat, ac dat undique  
 Collo nitenti pendulos.  
 Sed forte oberrans roscidam manûs cutim  
 Contingit acri pectine.  
 Tum læsus ille subdit accensam pio  
 Facem parentis pectori.  
 Ambusta at ipsa (ut erat) in undas profilit  
 Secum trahens Cupidinem.  
 Fons unus ergo sic levatos dispari  
 Ambos calore liberat.

## S A N N A Z A R I I

## TUMULUS MAXIMILLÆ.

**H**IC hîc fiste, precor, gradum viator,  
 Hoc sub marmore Maximilla clausa est :  
 Quacum frigiduli jacent amores,  
 Et lusus, Veneresque, Gratiaëque.  
 Hanc illi miseræ severa Clotho  
 Pro dulci thalamo domum paravit.  
 Has matri dedit, has patri querelas,  
 Pro plausu, choreisque nuptiarum.  
 Quid firmum tibi, quid putes viator  
 Mansurum inviolabile, aut perenne ?  
 Si quæ deliciae juvenculorum,  
 Et decus fuerat puellarum,  
 Nunc eheu jacet ecce Maximilla,

Luctus perpetuus juvenulorum,  
Æternæ & lachrymæ puellularum.

AD MARINUM CARACCIOLUM.

**O** Dulce ac lepidum, Marine, factum,  
Dignum perpetuo joco atque risu,  
Dignum versiculis facetiisque,  
Nec non & salibus, Marine, nostris!  
Ille maximus urbis imperator  
Cæsar Borgia, Borgia ille Cæsar,  
Cæsar patris ocellus, & sororis,  
Fratrum blanditiæ, quies, voluptas,  
Montis pupulus ille Vaticani.  
Ille inquam dominæ urbis inquinator,  
Cæsar Borgia, Borgia ille Cæsar,  
Cinædi patris impudica proles,  
Mœchus ille sororis atque adulter,  
Fratrum pernicies, lues, sepulchrum,  
Montis bellua tetra Vaticani,  
Quingentas modò qui voravit urbes,  
Imbutus scelere & malis rapinis,  
Urbes sub ducibus suis quietas,  
Quascunque aut Latium ferax virorum,  
Aut Campania pinguis, aut per alta  
Divisi juga continent Sabini,  
Hisque ingessit Ariminum, Pisautum,  
Urbinum, Populoniumque magnam,  
Camertes pariter, Forumque Livî,  
Cornelique Forum, Faventiamque,  
Et quantum Æmiliæ est, Hetruriæque,  
Quantum circuitu hinc & inde longo

Neptuni

Neptuni lavat æstuantis unda.  
 At nunc quis neget esse opus Deorum?  
 Dum vecors animi, impotente morbo,  
 Quærit plura, nec est potis misellus  
 Explere ingluviem periculofam.  
 Ecce, ecce evomit, ô Jovem facetum!  
 O pulchram Nemesim! ô venusta Fata!  
 Verum scilicet id, Marine, verum est  
 Quod dici solet, en fides probat nunc,  
 Fortunam si avidè vorare pergas,  
 Eandem male concoquas necesse est.  
 Ut jure evomere hunc putemus ipsum  
 Qui tantum miser hausit oppidorum.  
 Ast id omne, quod hausit, oppidorum,  
 Quod quinque assiduis voravit annis,  
 Imbutus scelere & malis rapinis,  
 Scis quot evonuit diebus? uno.  
 O lucem niveam! ô Jovem facetum!  
 O pulchram Nemesim! ô venusta Fata!  
 O dulce ac lepidum, Marine, factum!

## A D N I N A M.

**S**Excentas, Nina, da, precor, roganti  
 Sed tamen mihi basiationes:  
 Non quas dent bene filiæ parenti,  
 Nec quas dent bene fratribus sorores;  
 Sed quas nupta rogata det marito,  
 Et quas det juveni puella charo.  
 Juvat me mora longa basiorum;  
 Ne me tam cito deserat voluptas.  
 Nolo marmora muta, nolo pictos

Dearum,

Dearum, Nina, basiare vultus :  
 Sed totam cupio tenere linguam  
 Insertam humidulis meis labellis,  
 Hanc & fugere, morfiunculasque  
 Molles adjicere, & columbularum  
 In morem teneros inire lusus,  
 Ac blandum simul excitare murmur.  
 Hæc sunt suavia dulciora melle  
 Hyblæo, & Siculæ liquore cannæ :  
 Hæc sola ambrosiæque, nectarisque  
 Succos fundere, sola habere possunt.  
 Quæ si contigerint mihi, tuisque  
 Admovere sinas manum papillis,  
 Quis tunc divitias, quis aurum, & omnes  
 Assis me putet æstimare reges ?  
 Jam non maluerim mihi beatas  
 Auroræ Venerisque habere noctes ;  
 Non Hebes thalamos beatiores ;  
 Non si deserat hæc suum maritum ;  
 Non si me roget usquequaque ; non si  
 Æternam mihi spondeat juventam.

## JO. JOVIANI PONTANI.

<sup>12</sup>  
 AD FAUNIAM.

**A** Mabo, mea chara Fauniella,  
 Ocellus Veneris, decusque Amoris,  
 Jube isthæc tibi basiem labella  
 Succis plena, tenella, mollicella :  
 Amabo, mea vita, suaviumque,  
 Face istam mihi gratiam petenti.

Ah!

Ah! quid lenta times tuum maritum?  
 Ne time, leviter suaviabor.  
 Apes ut tenero studens liquori  
 Libat summa thymi aut crocon rubentem,  
 Summa vix tibi suserim labella:  
 Isthæc dico labella mollicella,  
 Quæ me tam facient citò beatum,  
 Quàm fiam citò, si neges, misellus.

12

## A D F A U N I A M.

**P**Uella, molli delicatior rosa,  
 Quam vernus aer parturit,  
 Dulcique rore Memnonis nigri parens  
 Rigat suavi in hortulo,  
 Quæ mane primo roscidis cinctos foliis  
 Ornat nitentes ramulos;  
 Ubi rubentem gemmeos scandens equos  
 Phœbus peragrat æthera:  
 Tunc languidi floris breve & moriens decus  
 Comas reflectit lassulas;  
 Mox prona nudo decidit cacumine,  
 Honorque tam brevis perit.  
 Sic forma primis floret annis: indecens  
 Ubi senectus advenit,  
 Heu languet oris aurei nitens color,  
 Quod ruga turpis exarat.  
 Perit comarum fulgor, & frontis decus,  
 Dentisque flavent candidi.  
 Pectus papillis invenustum languidis,  
 Sinus recondet fordidus;

Quod



## 76    A N D R E Æ   N A U G E R I I

Quod nunc Eois lucidum gemmis nitet,  
Tenuisque vestit fascia.

Nullas amantis audies mœsti preces,  
Duram quærentis januam.

Non ferta lentis fixa cernes postibus,  
Exclusi amantis munera.

Sed sola noctes frigido cubans toro  
Nulli petita conteres.

Quin hoc juventæ floridum atque dulce ver,  
Brevemque florem carpimus.

Post lustra quinque jam senectus incipit,  
Latenque subrepat modò.

Quare meorum ô aura suavis ignium,  
Dies agamus candidos;

Noctesque Divæ conteramus integras,  
Quæ mane lucet Hesperus.

## A N D R E Æ   N A U G E R I I.

IN V A N C I U M   V I C U M   P A T A V I N U M  
A M O E N I S S I M U M .

**B**Landa ô Naiadum cohors sororum,  
Quæ Vanci nitido latetis amne,  
Fusæ colla decentibus capillis,  
Quos largè ambrosii rigant liquores,  
Comtæ & carbaseo sinus amictu :  
Exite è liquidis simul latebris,  
In vestros simul hic adeste lusus,  
Quos largè Zephyro favente tellus  
Vernos florida suggerit per agros.  
En scandentibus hinc & hinc flagellis

Per flavas falicum comas pererrans  
 Vitis pampineas ministrat umbras ;  
 Per quas sibila murmurantis auræ  
 Jucundum tenero strepunt susurro.  
 Hic gemmantibus hinc & hinc rosetis  
 Cultas texere vos licet coronas,  
 Et passim simul omnium colorum  
 Lectos in calathis referre flores.  
 Quois comtas pariter comas revinctæ,  
 Quois sparsæ teretes simul papillas,  
 Ductetis pariter choros libentes,  
 Ductetis hilares simul choreas.  
 Sed quid splendidius nitescit aër ?  
 Quid fragrantius huc feruntur auræ ?  
 Rident omnia, & aëre in sereno  
 Spirarunt Cyprii Syrique odores.  
 Agnosco ; resonis strepunt querelis  
 Olores Paphii, Cupidinumque :  
 Concussæ ex humero sonant pharetræ.  
 Ad flores properat suos Dione.  
 Nunc vos Vanciades simul forores  
 Instaurate choros licentiores :  
 Et novæ Venerem——\* choreæ,  
 Et chori Venerem licentiores.  
 Huc mitis, Dea, mitiorque semper  
 Adsis muneribus benigna nostris,  
 Quæ versis tibi fundimus quasillis,  
 Quæ pictis tibi teximus coronis.  
 Incultis face Vancium rosetis  
 Pæstum vincere, floridumque Tibur.  
 Hæc non bruma rigens calorque lædat :  
 Hæc non flamina pestilentis Austri :

\* *decent*  
*fortasse.*

Sed

78    A N D R E Æ   N A U G E R I I

Sed semper tibi cultius nitescant :  
 Sed semper genitalibus Favoni  
 Tua in munera mulceantur auris.

I N   H Y E L L Æ   O C E L L O S .

**Q**Uamvis te peream æque, Hyella, totam,  
 Nec pars fit, mea lux, tui ulla, quæ me  
 Sævo non penitus perurat igne ;  
 Fulgentes tamen illi, amabilesque  
 Illi sideribus pares ocelli,  
 Nostri maxima caussa sunt furoris.  
 O cari nimis, ô benigni ocelli,  
 O dulci mihi melle dulciores,  
 Quando vos misero mihi licebit  
 Usque ad millia millies trecenta,  
 Aut ultra hæc etiam, suaviari ?  
 Dii concedite mî hoc misello amanti ;  
 Dein nil grave perpeti recuso :  
 Quin & si peream, lubens peribo.

I N   A U R O R A M .

**D**I A Tithoni senioris uxor,  
 Quæ diem vultu radiante pandis,  
 Quum genas effers roseas rubenti  
     Prævia foli :  
 Roscidos ut nunc per agros vagari  
 Sub tuo adventu juvat, & recentes  
 Quæ tuos semper comitantur axes,  
     Excipere auras !

Sicca

Sicca jam sævus calor uret arva :  
 Jam vagi aurarum levium filefcent  
 Spiritus : jam fol rapidus furentes  
 Exferet ignes.

Dum licet, læti fimul ite amantes :  
 Dum licet, molles pariter puellæ  
 Ite \* flaventes vario capillos

\* al. *lucentes.*

Nectite fertō.

Nunc fimul telis pofitis Amores  
 Matris hærentes lateri, & decentes  
 Gratix plenos referunt refecto  
 Flore quafillos.

Per feros faltus, per iniqua luftra  
 Undique occultas agitans latebras  
 Fertur, & filvas varia ferarum  
 Strage cruentat

Clara Latonæ foboles : nitenti  
 Huic comæ in nodum religantur auro :  
 Pendet aurata ex humeris pharetra  
 Pendet & arcus.

Circum eunt Nymphæ fimul : illa curfu  
 Gaudet effufos agitare cervos :  
 Hanc juvat certis jaculis fugaces  
 Figere lyncas.

Nunc ab umbrofo fimul efculo  
 Daulias late queritur : querelas  
 Confonum circa nemus & jocofa  
 Reddit imago.

## A D V E N E R E M.

**D**I V A, quæ has cœli generatim in auras  
 Cuncta producis ; cupidumque amorem  
 Undique infundens, facis ut perenne  
     Sæcla propagent :  
 Qua nihil lætum sine, amabile est nil,  
 Nilque jucundum : sine qua nec ipsæ  
 Gratæ erunt cuiquam Charites, nec ipsa  
     Blanda Voluptas :  
 Dum tibi lætus reparatur orbis,  
 Dum per herbosos pecus omne campos  
 Vim tuam sentit, tibi plaudit omnis,  
     Diva, volucris.  
 Dum nihil, quamvis rigidum feroxque, est  
 Offibus quod non penitus sub imis  
 Sit tuâ tactum face, quod tuos non  
     Sentiat ignes ;  
 Una erit flammæ & amoris expers,  
 Una secura his Lalage resistet ?  
 Tange age ultrici, Dea, pertinacem  
     Tange flagello.  
 Quod si ita tanges, fera ut obstinatum  
 Applicet nostris animum querelis,  
 Nec preces ultra miseræ superba  
     Negligat aure ;  
 Conferam lætam tibi, Diva, myrtum,  
 Vancium qua se rosifer revolvit :  
 Hanc mero supplex, niveo & rigabo  
     Lactæ quotannis.

Hanc

Hanc & immittæ pueris puellæ  
 Circum agent lætas pariter choreas :  
 Teque primâ unam, simul ultimâ unam  
 Voce canent te.

Te canent unam, volucremque natum,  
 Qui ferox, duro & similis parenti,  
 Acer & flammâ est, & agente certum  
 Cuspide vulnus.

Spargam odoratas violas, rosasque  
 Ipse ego, votique reus secabo  
 Grata torquatae ante tuas columbæ  
 Guttura flammæ.

## LUDOVICI AREOSTI.

### DE MEGILLA.

**I**llius timidis spes fit amoribus  
 Qui formæ comitem ferre superbiam,  
 Centenamque repulsam

Leni pectore quiverit :

Qui furdos tulerit tot querimoniis  
 Postes, dum glomerat trux Boreas nives,  
 Miraturque suam vim

Tantis vincier ignibus :

Qui rivalem animo viderit integro  
 Offensum, toties limen amabile  
 Noctu prætereuntem :

Qui vel jurgia spreverit,

## 82 LUDOVICI AREOSTI

Iras, nequitas, instabilem fidem,  
Et quicquid dominæ sævities tulit :

Illum mater Amorum,

Mater blanda Cupidinum

Tandem audit precibus victa diutinis,  
Et finem tepidis luctibus imperat ;

Duræ corda puellæ

Divino insiliens pede :

Non oblita facis, quam Cinareius  
Excivit juvenis, quam Phrygius prope  
Idæum Simoenta,

Quam Mars bellipotens pater.

Illi fert gremio pleno Amathuntia

Lusus, illecebras, delicias, jocos,

Rifus, quicquid & almo est

Regno dulce Cupidinum.

En me, quem lacrymis, quem miseris modis  
Sævus ludibrio longum habuit puer,

Spretor Divum hominumque,

En hac luce beat Venus.

O signanda dies, non modo candida

Notâ de veteri more Sidonio,

Sed sacro celebranda

Nobis jugiter annuo !

Lux, quâ plena meis amplexuque gaudia

Commuto lacrymis, quâque laboribus

Munus grande reporto,

O solatia suavia !

Fallorne ? an placidâ somnus imagine

Ludit me, ut miseris questibus obviet ?

An hæc vera Megilla

Cujus detineor sinu ?

Hæc

Hæc hæc vera mea est : nil modò fallimur  
 Mi anceps animule, en fume cupita jam,  
 Mellita oscula fume,  
 Expectata diu bona.

D E J U L I A.

**Q** ualem scientem carminis, & lyrâ  
 Sappho sonantem molliter aureâ  
 Expertem amorum, atque integellam  
 Floris adhuc nimium caduci,

Vocavit altis è penetralibus

Pubentis agri conspicuus nitor,

Herbæque, flosculique hiantes

Flatibus egelidis Favonî ;

Mox dithyrambos Æoliæ impulit

Testudini committere spiritus

Strepens per altas ilices, &

Murmur aquæ prope defluentis :

Qualemve doctam Calliopen modos,

Cui Rex Deorum sistere tinnulâ

Permisit amnes voce, flavæ

Jupiter ob meritum parentis,

Audivit olim libera cœlitum

Jam jam fugatis mensâ gigantibus

Manum Tonantis, & Deorum

Præsidium ad citharam canentem :

Audivi eburno pollice Juliam

Chordas moventem Threiciæ fidis,

Et arte jucundos magistrâ

Ad numerum strepitus citantem ;



84 LUDOVICI AREOSTI

Et ora vernis æmula floribus  
 Solventem acutis vocibus in modum,  
 Nervosque vocales decenter  
 Carminibus sociantem Etruscis;  
 Cantusque presso gutture mobiles  
 Ducentem ad auras, per tremulas prius  
 Flexasque, concisasque fauces  
 Murmure nunc tacito volutos,  
 Nunc plena in aurem voce refractulos,  
 Quibus nigranti cedit ab arbore  
 In roscidis quicquid viretis  
 Vere canit volucrum tepente.  
 Ut ut canoros quæro iterum modos,  
 Ut ut mihi me surripuit melos!  
 Nec mecum adhuc sum, adhuc hiulco  
 Nescit abire animus labello:  
 Nec si sciat, vult mitti, adeo & bonâ &  
 Gratâ tenetur compede: jam mihi est  
 Adempta libertas, nec hauſtu  
 Elysiæ reparanda Lethes.  
 Si tale Siren stirps Acheloia  
 Nautis canebat prætereuntibus,  
 Nil miror averſas carinas  
 Sponte cavas adiisse rupes.  
 Nescis tu, Ulyſſeu, qui fugis illitis  
 Cerâ Pelasgis remigis auribus  
 Inter puellarum choros tam  
 Dulce canentium obire foelix.

PETRI

## P E T R I C R I N I T I .

A D M A R U L L U M ,

*Quod relictis Musis à NÆVIA detinetur.*

**P**Ridem relictâ Pallade  
 Amoris hausi peculum,  
 Et me Cytheris militem  
 Delegit in castris suis.  
 Marulle, quid frustra mones  
 Ut sacra Phœbi prosequar,  
 Et me Camœnis asseram?  
 Libet vocanti Cypridi  
 Parere, dum calor viget;  
 Et in virenti gramine  
 Inter Jocos & Gratias  
 Aurâ favente ludere;  
 Nunc in reductis vallibus  
 Duros amores insequi.  
 Tu carmen altum Principis  
 Vates beato pectore  
 Absolve, dum Phœbus monet;  
 Tu dedicatus Cynthio  
 Docto, Marulle, carmine  
 Tradas perennem posteris  
 Famam potentis ingenî.  
 Mî fat calores mutuos  
 Firmamque sacri pectoris  
 Fidem probare Næviz.

## NICOLAI ARCHII.

**D**ulces lacrymæ meæ puellæ,  
 Quas desiderium pium movebat,  
 Quæ vultus modò candidos rigabant  
 Guttatim, & roseis genis fluebant,  
 Ac si rivulus irrigaret unda  
 Flores purpureosque candidosque,  
 Ac per mollia prata laboretur:  
 Tam suavi in pluvia nitens Cupido  
 Infidebat, uti solet volucris  
 Ramo, vere novo, ad novos tepores  
 Post solem accipere ætheris liquores,  
 Gestire & pluvix ore blandiendo.  
 Has inter lacrymas & hunc dolorem  
 Quassabat geminas faces Cupido,  
 Exire ut faceret novas favillas.

## ANGELI PUELLA.

**P**Uella delicatior  
 Lepusculo, & cuniculo,  
 Cæaque telâ mollior,  
 Anserculique plumulâ.  
 Puella qua lascivior  
 Nec vernus est passerculus,  
 Nec virginis blandæ sinu  
 Sciurus usque lusitans.  
 Puella longe dulcior  
 Quam mel sit Hyblæ, aut saccharum,

Ceu lac coactum candidâ,  
Vel lilium, vel prima nix.

Puella cujus non comas

Lyæus æquaret puer,  
Non pastor ille Amphrifius  
Amore mercenarius:  
Comas decenter pendulas  
Utroque frontis margine,  
Nodis decenter aureis  
Nexas: decenter pinnulis  
Ludentium Cupidinum  
Subventilantibus vagas:  
Quas mille crispant annuli;  
Quas ros, odorque myrrheus,  
Commendat atque recreat.

Puella cujus duplices

Sub fronte amicâ fulgurant  
Amoris arcani faces;  
Quas contueri non queo,  
Nec stare contra, vel procul,  
Quin occuper flammâ gravi  
Miser, miser, quæ mollibus  
Furtim medullis adsilit.  
Non non ocellus hospites  
Ille est, & ille, sed faces,  
Faces amoris igneæ,  
Quas læta suscitât Venus,  
Quas blanda pascit Gratia.

Quid narium dulcêm modum,  
Vel quid genarum lævium  
Dicam rosam cum lilio?  
Labella quid coralliis

Rubore prænitentia ;  
 Jam sæpe tam longum mihi  
 Mordente pressa basio ?  
 Quid margaritas dentium  
 Præcandidorum proloquar ?  
 Linguamque perplexabilem,  
 Utcunque juncto anhelitu  
 Amanti amantem copulans  
 Festinat ad calcem Venus ;  
 Cum suave-olentem spiritum  
 Semiulca fugunt oscula,  
 Lenocinante gaudio  
 Subinde murmyrantia ?  
 Mentumve quid tornatile,  
 Gulamve teretem & lacteam,  
 Et quæ lacertis millies  
 Ut arbor hederâ incingitur  
 Incincta cervix est meis ?  
 Nam quæ tibi mammillulæ  
 Stant floridæ, & protuberant  
 Sororiantes primulum,  
 Ceu mala punica arduæ,  
 Quas ore toto prefferam,  
 Manuque contrectaveram,  
 Quem non amore allexerint ?  
 Cui non asilum immiserint ?  
 Quem non furore incenderint ?  
 O qui lacerti, quæ manus !  
 Quos Juno, quas Aurora habet,  
 O quale pectus, & latus,  
 O venter, ô crus, ô femur,  
 O qui Thetim decent pedes,

Pedes

Pedes choreis nobiles,  
 Saltatibus mirabiles,  
 Statu, gradu spectabiles!  
 O verba jucundissima,  
 Tam nequiter ludentia,  
 Arguta, plena aculeis,  
 Decore, suavitudine,  
 Dicacitate, gratia!  
 O carminum dulces notæ  
 Quas ore pulchra melleo  
 Fundis, lyræque succinis,  
 Ut non Thalia blandius,  
 Non ipse Apollo doctius  
 Feras canendo mulceant,  
 Fluenta vertant in caput,  
 Et saxa cum sylvis trahant!  
 O cuncta falsa & dulcia,  
 Festiva, læta, & mollia,  
 Referta amœnitatibus,  
 Amoribus, lubentiâ,  
 Protervitate, lusibus,  
 Rifu, joco, leporibus!  
 O quicquid est pulchrum & decet  
 Puella sola continens!  
 O præpotens cultu nimis,  
 Nimisque non culta placens!  
 Quis te Deus mihi invidet?  
 Quæ te mihi fors eripit?  
 Quo te repente proripis?  
 Quo, quo fugis bellissima,  
 Rifu serenans æthera?  
 Heu mea voluptas, mel meum,

Meum puella corculum,  
 Mihique longe charior  
 Auro, lapillis, purpura;  
 Ac nec lapillis charior,  
 Auroque solum, & purpura,  
 Sed spiritu mî charior,  
 Sed charior mî sanguine:  
 Memento tu tamen precor,  
 Memento formosissima  
 Amoris, atque compedum  
 Quas à tenellis unguibus  
 Mecum tibi circundedit,  
 Heu lacrymis amantium, heu  
 Suspiriis ridens Venus!

IAMBICUM *Trimetrum de domo nuper à Mabilio empta in desertissimo urbis loco, qui ad Caballum dicitur.*

**H**Æres relictus à parente fordido  
 Ille impudicus, temulentus, aleo;  
 Spurcus, lutofus, pedicosus, hispidus,  
 Pannofus, unctus, horridus, caprimulgus,  
 Edax, ineptus, insolens Mabilius,  
 Uno expatrativ patrimonium die  
 Gulâ helluante -----

Mox cum super vix quindecim nummi forent,  
 Rebus cavendi jam suis tempus ratus,  
 Emit lacertis & colubris hospitam  
 Domum, rigentem fenticetis & rubis,  
 Familiarem vulturi & bubonibus;

In

In quâ solebat turba mendicantium  
 Longis coactos esuritionibus  
 Mandare terræ turgidi ventris cibos ;  
 Quâ contumaces Æolus ventos solet  
 Punire clausos ; quâ recuset Tantalus  
 Siticulosam Ditis horridi Styga  
 Mutare, & Ætnæ centiceps gigas onus.  
 Nec vendere illam, nec locare si velit,  
 Donare nec Mabilius cuiquam potest.  
 Mutare dominum domus hæc nescit suum,  
 Quantumlibet Mabilius sit prodigus,  
 Quam nunc sit, esse non potest pauper magis :  
 Fecit lucrum ingens hanc emens Mabilius.

## J O. B A P T. A M A L T H E I

### D A P H N I S.

**B**Eate fons, ocelle fontium omnium,  
 Qui picta multis prata floribus rigas ;  
 Tuoque suavem rivulo halitum accipis,  
 Unde ipse odoratis quoque affluis aquis :  
 Has lachrymas sævi doloris nuntias  
 Daphnis secundo amore tam Diis proximus,  
 Nunc omnium miserrimus, libat tibi :  
 Ut bella Erilla, dum calore languida  
 Tuis refrigerat papillas undulis,  
 Tuoque fessa conquiescit in sinu,  
 Quem mi peperit, identidem luctum hauriat ;  
 Identidem illa, illa hauriat, seu lucido  
 Fovet liquore membra, sive candidas  
 Manus, & aureas simul lavit comas.

Sic



Sic dura forsan molliet præcordia  
 Roburque tandem pectoris flectet sui.  
 Formosa Erilla, vosque muscosi specus,  
 Et vos comantibus decoræ ramulis  
 Valetè lauri, quæ meis laboribus  
 Sæpe affuistis, & doloris conscia  
 Impressa lævi signa fertis cortice.  
 Vestris in umbris, vestro in amplexu miser  
 Non amplius meos amores concinam :  
 Nec sibilantium licebit arborum  
 Captare frigus in tenaci gramine,  
 Gregeve blandâ detinere fistulâ.  
 Hunc ego diem hauriam supremo lumine ;  
 Hoc intuebor ultimum solis jubar.  
 Jam jam emoritur animus mihi, & pallentia  
 Jam jam ora diræ imago mortis occupat.  
 Quare meo donate fletu & lachrymis  
 Vale beate fons, ocellè fontium.

## I O L A S.

**S**IC te perenni picta flore gramina,  
 Et umbra densis explicata frondibus  
 Levent beate pastor, ut nec horrida  
 Hyems virentium arborum lædat comas,  
 Nec prata lætis exuat coloribus ;  
 Prata illa regnis præferenda, quæ tibi  
 Tantum quietis otiique suggerunt.  
 Fœlix Iola, grata ruris commoda  
 Semper tueris, seu colis scatentia  
 Vireta rivis, sive sub cavo specu  
 Projectus, & curis solutus omnibus  
 Canis, quod ipsa circum imago consonet,

Et

Et alta reddant montium cacumina.  
 Fœlix Iola, nunc tibi fons languidum  
 Affert soporem blandiente murmure:  
 Nunc dulci amore saucius tuos novis  
 Incidis ignes populis, & stipite  
 Crescente dulcior simul crescit calor.  
 Tecum in reducta valle grex depascitur;  
 Quantumque longis solibus carpunt oves,  
 Brevi refurgit nocte. Tecum Vespere  
 Surgente notis clauditur præsepibus:  
 Astrisque jam cadentibus, cum pascua  
 Lento madescunt rore, profilit pecus  
 Molles ad herbas: hîc tibi tunc alitum  
 Congratulantur cantus; hîc felicibus  
 Aspirat auris obstrepens Favonius.  
 At tu, beate pastor, isto munere  
 Diu fruare, nec nemus, nec florida  
 Offendat arva frigus acre; sed tibi  
 Æterno aperti vere floreat agri.

## JOHANNIS COTTÆ.

### AD LYCORIM.

**A**M O, quod fateor, meam Lycorim,  
 Ut pulchras juvenes amant puellas.  
 Amat me mea, quod reor, Lycoris,  
 Ut bonæ juvenes amant puellæ.  
 Huic ego, ut semel hanc videre visus  
 Sese ostendere fixiore ocello,  
 Quando inquam, mea lux, mei laboris  
 Das mî præmiolum, meique cordis

Tot

92 JO. BAPT. AMALTHEI

Sic dura forsan molliet præcordia  
 Roburque tandem pectoris flectet sui.  
 Formosa Erilla, vosque muscoli specus,  
 Et vos comantibus decoræ ramulis  
 Valet lauri, quæ meis laboribus  
 Sæpe affuistis, & doloris consciæ  
 Impressa lævi signa fertis cortice.  
 Vestris in umbris, vestro in amplexu miser  
 Non amplius meos amores concinam :  
 Nec sibilantium licebit arborum  
 Captare frigus in tenaci gramine,  
 Gregeve blandâ detinere fistulâ.  
 Hunc ego diem hauriam supremo lumine ;  
 Hoc intuebor ultimum solis jubar.  
 Jam jam emoritur animus mihi, & pallentia  
 Jam jam ora diræ imago mortis occupat.  
 Quare meo donate fletu & lachrymis  
 Vale beate fons, ocelle fontium.

I O L A S.

**S**IC te perenni picta flore gramina,  
 Et umbra densis explicata frondibus  
 Levent beate pastor, ut nec horrida  
 Hyems virentium arborum lædat comas,  
 Nec prata lætis exuat coloribus ;  
 Prata illa regnis præferenda, quæ tibi  
 Tantum quietis otiique suggerunt.  
 Fœlix Iola, grata ruris commoda  
 Semper tueris, seu colis scatentia  
 Vireta rivis, sive sub cavo specu  
 Projectus, & curis solutus omnibus  
 Canis, quod ipsa circum imago consonet,

Et

Et alta reddant montium cacumina,  
 Fœlix Iola, nunc tibi fons languidum  
 Affert soporem blandiente murmure:  
 Nunc dulci amore saucius tuos novis  
 Incidis ignes populis, & stipite  
 Crescente dulcior simul crescit calor.  
 Tecum in reducta valle grex depascitur;  
 Quantumque longis solibus carpunt oves,  
 Brevi refurgit nocte. Tecum Vespere  
 Surgente notis clauditur præsepibus:  
 Astrisque jam cadentibus, cum pascua  
 Lento madescunt rore, profilit pecus.  
 Molles ad herbas: hîc tibi tunc alitum  
 Congratulantur cantus; hîc felicibus  
 Aspirat auris obstrepens Favonius.  
 At tu, beate pastor, isto munere  
 Diu fruare, nec nemus, nec florida  
 Offendat arva frigus acre; sed tibi  
 Æterno aperti vere floeant agri.

## JOHANNIS COTTÆ.

### AD LYCORIM.

**A**MO, quod fateor, meam Lycorim,  
 Ut pulchras juvenes amant puellas.  
 Amat me mea, quod reor, Lycoris,  
 Ut bonæ juvenes amant puellæ.  
 Huic ego, ut semel hanc videre visus  
 Sese ostendere fixiore ocello,  
 Quando inquam, mea lux, mei laboris  
 Das mî præmiolum, meique cordis

Tot

Tot incendia mitigas, Lycori ?  
 Hic illa erubuit, simulque risit ;  
 Ridebat simul, & simul pudebat :  
 Dumque molliculos colens amores,  
 Colit virgineum simul pudorem,  
 Quid negem tibi dixit ? & capillum,  
 Qui pendens levibus vibratur auris,  
 Et formosa vagus per ora ludit,  
 Hunc secans trépida implicansque in auro,  
 Hæc fila aurea, & aureum capillum  
 Pignus, inquit, habe meique amoris,  
 Meique ipsius: hoc tuum puellæ  
 Tuzæ pignore lenias calorem.  
 Eheu quid facis ! hei mihi, Lycori,  
 Hæc sunt flammea texta, non capilli :  
 Sunt hæc ignea vincla ; ni relaxes,  
 Quî tanto valeam valere ab æstu ?  
 Anne ignem juvat ignibus perire ?  
 Comæ flammeolæ subite flammæ ;  
 Crines igneoli venite in ignes :  
 Sat me flammea vincla nexuistis ;  
 Nunc vos solvimini, & subite flammæ :  
 Uffistis nimis ignei capilli ;  
 Nunc vos urimini, & valete in ignes.  
 Hos meos age lætus ignis ignes  
 Perge extinguere, tuque flamma flammam  
 Exedas, mea corda quæ exedebat.  
 At tu, sic reliqui tui capilli  
 Vernent perpetuùm tibi, Lycori :  
 Quod tuos ferus uffissem capillos, *ufferam*  
 Parce ; nam volo amare, non peruri.

## G. BUCHANANI.

## IN NERAM.

**C**UM pulchram roseus dies Neram  
 Ostendit mihi, sic miser furore  
 Inquietus agor, trahor, peruror,  
 Ut rursus tacitas amem tenebras,  
 Ceu mali medicina sint tenebræ.  
 At cum nox tenebris opaca cæcis  
 Jam solis jubar aureum fugavit,  
 Et solis jubare aureo refulgens  
 Jubar splendidiusque puriusque  
 Formosam mihi sustulit Neram,  
 Jam rursus tenebras malas perosus  
 Pulchram cernere quæ negant Neram,  
 Noctem deprecor, & diem reposito,  
 Quæ pulchram mihi referat Neram,  
 Ceu mali mihi causa sint tenebræ.  
 Quis vitæ manet ordo me modusque?  
 Cui vota ut tribuant dei faventes,  
 Cum votis neque dii dabunt faventes,  
 Ne miserrimus esse perseverem.  
 Hoc Venus probat, & probat Cupido  
 Diis votisque potentior secundis.

## CALENDÆ MAIÆ.

**S**alvete sacris deliciis sacræ  
 Maiæ Calendæ, lætitiæ, & mero,  
 Ludisque dicatæ, jocisque,  
 Et teneris Charitum choreis.

Salve voluptas & nitidum decus

Anni recurrens perpetua vice,

Et flos renascentis juventæ

In senium properantis ævi.

Cum blanda veris temperies novo

Illuxit orbi, primaque secula

Fulsere flaveri metallo

Sponte suâ sine lege justa,

Talis per omnes continuus tenor

Annos tepenti rura Favonio

Mulcebat, & nullis feraces

Seminibus recreabat agros.

Talis beatis incubat infulis

Felicis auræ perpetuus tepor,

Et nesciis campis senectæ

Difficilis, querulique morbi.

Talis silentum per tacitum nemus,

Levi susurrat murmure spiritus,

Lethenque juxta obliviosam

Funereas agitat cupressos.

Forfan supremis cum Deus ignibus

Piabit orbem, lætaque secula

Mundo reducet, talis aura

Æthereos animos fovebit.

Salve fugacis gloria seculi,

Salve secundâ digna dies notâ,

Salve vetustæ vitæ imago,

Et specimen venientis ævi.

## P. GERARDI VAXIS.

**Q**UOD te basiolo proterviore  
 Offendi, mea lux, id omne telis  
 Ignitis tribues amoris : hoc si  
 Ulcisci graviusque acerbiusque  
 Cupis suaviolum, mihi roganti  
 Rursus basia pangito labellis ;  
 Nam quod furripui antea, repente  
 Totam pæne animam abstulit misello ;  
 Quod si haurire iterum daretur oris  
 Rorem nectareum tui, perirem  
 Ipse funditùs : annue hoc amanti  
 Ut totus peream, luamque morte  
 Præreptam tibi basiationem.

## RESPONSIO AD SUPERIORA.

**N**ON quod basia læserint proterva  
 Oris me cupidi, ut putas, amanti  
 Irascor : quoniam labella nullo  
 Cum damno teneri queant pudoris  
 Jungi, jungere cur neget puella,  
 Duris durior ut fuit Sabinis ?  
 Verùm te cùm ita suaviatione  
 Affici aspicerem, ut necis subires  
 Discrimen, dolui : tuæque profus  
 Morti mors geminata nostra jamjam  
 Foret, ni retrahens labella vitam  
 Mox tibi superesse comperissem.  
 Ergo cur iterum suaviari

VOL. II.

H

Gestis ?



Gestis? quódne parum prius patratum  
 Sit nobis secleris, nisi ampliore  
 Id porro scelere expietur? an fors  
 Ut quem seminecem modò querebar,  
 Hunc ipsum labiis meis trucidem?

## A L I U D.

**A**Djunxi tua quod meis labellis  
 Conatu temerario labella,  
 Hæc nostro est tribuenda culpa amanti:  
 Si multare cupis male immerentem,  
 Rursus oribus ora, labra labris  
 Compone; est etenim mihi hausta raptò  
 Tanta ex basiolo priùs voluptas,  
 Omnis pæne anima ut foras abiret,  
 Et me linqueret ægra mens amore:  
 Daretur si iterum mihi ore anhelò  
 Ista mellitula ora suaviari,  
 Septa mens mea transiliret oris:  
 Culpa hæc morte mea fatin' luetur?

## A L I U D.

**Q**UOD te, Lesbia, suavio procaci  
 Commovi graviter, Deus subegit  
 Lentis ignibus ustulans medullas:  
 Hoc si plectere pœna acerbiorè  
 Vis, rursus mihi labra cum labellis  
 Compara: si quidem tibi quod ante  
 Furtim surripui, favisque Hymetti,  
 Omni nectare dulciusque, totam

Heu!

Heu! heu! pæne animiam abstulit meam mi.  
 Nunc si ducere tramite ex aperto  
 Rursum florem animæ suaveolentem  
 Liceret mihi, & ore feminuleo *seminuco*  
 Succos fugere melle dulciores,  
 Optatâ mihi morte tunc perirem  
 Funditus, penitusque: tunc amoris  
 Igne percita mens mea evolaret:  
 Erepta oscula morte fati luuntur.

## HONORATI FASCITELLI.

IN OBITUM ARSILLI MEDICI ET POETÆ.

**E**RG O videmus lumine hoc spirabifi  
 Cassum jacere te quoque,  
 Ut plebe quivis unus è vili jacet,  
 Arsille, magno Apollini  
 Novemque Musis chare? five poculis  
 Præsentibus morbi graves  
 Essent levandi, five dulci carmine  
 Dicenda mater aurea  
 Cupidinum, hufusque furtorum leves.  
 O vota nostra inania,  
 Quid dura fati non potest necessitas?  
 I, da lyram mihi puer,  
 Manuque funde proniore Cæcubum.  
 Nunc sunt Lyæi mûnera,  
 Nunc plectra cordi, nunc juvat lectissimo  
 Cinxisse flore tempora.  
 Sicci, tenebris obfiti, tristi in Styge  
 Fortasse cras silebimus.

## JOSEPHI PARLISTANEI.

## DESCRIPTIO ADVENTANTIS SENECTUTIS.

**J**AM nec dulce mihi Venus  
 Arridet gemini blanda Cupidinis  
 Mater, nec tepidi leves  
 Aspirant animæ dulce Favonii,  
 Nec vernos aperit sinus  
 Depicta omnigenis terra coloribus.  
 Venas, viscera, sanguinem,  
 Et rugis faciem contrahit aspera  
 Ætas, nigraque tempora  
 Spargit Threiciâ tristis hyems nive.  
 At vis ignea languido  
 Paulatim fugiens corpore deficit,  
 Ut flos aridus : unica  
 Quod si tergemini gratia numinis  
 Præfens adfit & ætheris,  
 Quod si præniteat lux mihi candida,  
 Flatus non ego Thracios,  
 Nec tristem metuam nubibus Africum.  
 Nec me dura necessitas  
 Quicquam diminuet rebus in asperis.  
 Inter mille pericula  
 Sed vivam Arfacida principe firmior :  
 Et cum fila mihi legent  
 Parcæ, quæ nequeunt parcere, nexibus  
 Hujus corporis exiens  
 Vivam tunc hominum forte beatior.

## HIERONYMI AMALTHEI.

## AD HERMETEM STAMPAM.

**V**Alete aprica montium cacumina,

Valete opaca vallium cubilia :

Vestris Iolas it procul recessibus.

Miselle Iola, non videbis amplius

Amata tauris prata mugientibus,

Olente caltha, olente picta amaraco.

Miselle Iola, non videbis amplius

Dorso recumbens graminum virentium

Depræliantes cornibus juvenculos.

Non tibi susurri fluminum sonantium,

Non sibilantes blandientur ilices,

Inire nec suadebit aura somnulos.

Abire certum est, & minaci in æquore

Iras videre insanientis Africi,

Videre monstra per fretum natantia,

Et imminentis mille lethi imagines.

Amens Iola parce, parce conqueri.

Tibi sequendum, sive Nili adiverit

Hermes latentis ultimas origines,

Inhospitalis sive saxa Caucaasi.

Quare valete montium cacumina,

Valete opaca vallium cubilia.

## AD MAXIMILIANUM BOEMIAE REGEM.

**O** Quæ, rotatu vecta volubill  
 Ustis ab Indis ad gelidos Scythas,  
 Nunc blandienti, nunc minaci  
 Cuncta supercilio coerces,  
 Ne me per altos divitis Antii  
 Regina montes, ne per inhospitas  
 Me coge valles fabulosam  
 Hinc panacem legere, hinc cyperum,  
 Ut insalubri qui lue tabuit  
 Formidolosæ vim fugiat necis,  
 Audente me leges Deorum  
 Pæonio violare succo.  
**O** mentis expers Iâpeti genus!  
 Mutanda nullo est consilio dies,  
 Quam fata nobis dormiendam  
 Perpetuo statuere somno.  
 Fallacis ergo Pæonis ars vale:  
 Oblivioso fat mea torpuit  
 Fides veterno: nunc canoros  
 Tange Erato numerosa nervos,  
 Longumque rumpens voce silentium,  
 Nulli secundum concine principem,  
 Seu malit armis, seu sagaci  
 Consilio superare malit;  
 Quem nunc anhelos pectore Norici  
 Lugent morantem finibus exteris;  
 Quem mille votis septicornem  
 Vindelici revocant ad Istrum.

O solve Ibero carbasa littore ;  
 Et luctuosas, maxime Principum,  
     Solare gentes ; & paternos  
     Exhilara reditu penates.  
 Qualis reducens post tenebras diem  
 Sol nigriorem discutit aëra,  
     Regnumque Junonis serenat,  
     Nubibus exiliens fugatis :  
 Talis revertens cardine ab Hespero  
 Subjecta septem regna trionibus  
     Caliginosa nocte solves  
     Major avis, atavisque major.  
 Tu bellicosas frangere fraxinos,  
 Tu doctus enses flectere Noricum,  
     Urbes subactas, jusque avitum  
     Eripies Asiæ tyranno.  
 Tu rursus urbis Martia Romulæ  
 Vexilla tolles, subjiciens tibi  
     Sol quicquid ambit, quicquid urnis  
     Uberibus lavit Amphitrite.  
 Quod si superstes muneribus fruar  
 Vitalis auræ, me fide Lesbia  
     Juvabit & prædas & hostes  
     Dicere compedibus revinctos.  
 Te rege latus dum Capitolio  
 Parebit orbis, dulci ego pectine  
     Molles in amplexus euntem  
     Nereïdum Tiberim reflectam.  
 Sic faxa quondam Threïcium ferunt  
 Sequuta vatem, dum per inhospitas  
     Rupes, ademptam dum per imas  
     Quæreret Eurydicen latebras.

Qui postquam Averni constitit ad fores,  
Et cor ahenum leniit Æaci,

Flexitque suspensis bibentes

Auribus Eumenides querelam ;

Heu legis amens immemor, & sui,

Effudit altas frustra iterum preces,

Frustra revertentem puellam

Ad tenebras iterum secutus,

Quam mox nivali flevit in Ismaro,

Flevit sub Æmi cautibus horridis,

Seu ferret atras vesper umbras,

Sive diem veniens Eous.

At tum occupavit plectra silentium,

Infanientum cum Ciconum furor

Sparsit cruenti membra vatis

Stipitibus lacerata quernis :

Cum lingua sacris faucibus eruta,

Futura mergis esca voracibus,

Ter visa flecti, ter sub Hebro

Ah miseram Eurydicen vocavit !

Sed siste inanem barbite næniam :

Nunc in beatis Thracius insulis

Exultat heros, & repertæ

Conjugis in gremio recumbit.

Quin Martialem dic potius ducem

Illustriore carmine, quem legat

Ætas nepotum, donec Atlas

Orbis onus grave sustinebit.

S E L E C T A

P O E M A T A  
I T A L O R U M.

P A R S VI.

S Y L V A R U M.

A N G E L I P O L I T I A N I

S Y L V A C U I T I T U L U S N U T R I C I A.

*Argumentum de Poetica & Poetis.*

**S**TAT vetus & nullo lex interitura sub ævo  
 Divorum atque hominum concors: incidit in aure  
 Scilicet hanc Natura parens, dictasse feruntur  
 Fatorum consulta Themis, solersque futuri  
 Nondum Caucaſeâ pendens de rupe Prometheus;  
 Quæ gratos blandæ officio nutricis alumnos  
 Eſſe jubet, longumque piâ mercede laborem  
 Penſat, & emeritis cumulat compendia curis.  
 Hinc Italos Phrygio ſignavit nomine portus,  
 Cajetæ memor, Æneas: hinc urbe Quirini  
 Annua cinctutos nudabant feſta Lupercos.  
 Hinc pater aſtrigero Dodonidas intulit axi  
 Bacchus Agenoreo facturus cornua tauro.

Hinc



Hinc jubar Olenium ratibus pelagoque pavendum  
 Exoritur, siquidem Cretæâ fertur in Idâ  
 Capra Jovem puerum fidis aluisse papillis.  
 Ast ego, cui sacrum pleno dedit ubere nectar  
 Non olidi conjunx hirçi, non rava sub antris  
 Bellua, non petulans Nymphæ, non barbara mater,  
 Sed Dea, Pieridum consors, & conscia magnæ  
 Pallados, humanas Augusta Poëtica mentes  
 Siderei rapiens secum in penetralia cœli;  
 Quas rogo, quas referam grates, quæ præmia tantæ  
 Altrici solvisse queam, nec fulminis auctor,  
 Nec thyrsi sceptrique potens? quonam improba ducis  
 Mens avidum? quo me pietas temeraria cogis  
 Attonitum? quinam hic animo trepidante tumultus?  
 Fallor? an ipsa aptum dominæ præcordia munus  
 Parturiunt ultro, vocemque & verba canoro  
 Concipiunt sensum numero, inlibataque fundunt  
 Carmina nunquam ullis Parcarum obnoxia pensis?  
 Sic eat: en agendum qua se furor incitat ardens,  
 Qua mens, qua pietas, qua ducunt vota sequamur.  
 Intulerat terris nuper mundoque recenti  
 Cura Dei sanctum hoc animal, quod in æthera ferret  
 Sublimes oculos, quod mentis acumine totum  
 Naturæ lustraret opus, causasque latentes  
 Eliceret rerum, & summum deprenderet ævi  
 Artificem, nutu terras, maria, astra regentem;  
 Quod fretum ratione animi substerneret uni  
 Cuncta sibi, ac vindex pecudum domitorque ferarum  
 Possset ab ignavo senium defendere mundo;  
 Neu lento squallere situ sua regna, neque ægram  
 Segnitie pateretur iners languescere vitam.  
 Sed longum tamen obscuris immersa tenebris

Gens rudis atque inculta virum, sine more, sine ulla  
 Lege propagabant ævum, passimque ferino  
 Degebant homines ritu, visque insita cordi  
 Mole obsessa gravi nondum ullos promiserat usus:  
 Nil animo, duris agitabant cuncta lacertis;  
 Nondum religio miseris (si credere fas est)  
 Non pietas, non officium, nec foedera discors  
 Norat amicitiae vulgus; discernere nulli  
 Promptum erat ambiguo susceptam semine prolem.  
 Non torus inferni genio; non crimina plecti  
 Judicio; nulla in medium consulta referri.  
 Non quæri commune bonum: sua commoda quisque  
 Metiri; sibi quique valere & vivere sueti.  
 Et nunc, ceu prorsus morientem, vespere fero  
 Ignari flevere diem, nunc luce renata  
 Gaudebant ceu sole alio; variosque recursus  
 Astrorum, variam Phœben, sublustris in umbra  
 Noctis, & alternas in se redeuntibus annis  
 Attoniti stupuere vices: insignia longum  
 Spectabant cœli, pulchroque à lumine mundi  
 Pendebant caesarum inopes, rationis egentes:  
 Donec ab ætherio genitor pertæsus Olympo  
 Socordes animos, longo marcentia somno  
 Pectora, te nostræ, divina Poëtica, menti  
 Aurigam dominamque dedit: tu flectere habenas  
 Colla reluctantum, tu lentis addere calcar,  
 Tu formare iudes, tu prima extundere duro  
 Abstrusam cordi sciatillam, prima fovere  
 Ausa Prometheæ cœlestia semina flammæ.  
 Nam simul ac pulchro moderatrix unica rerum  
 Suffulta eloquio dulcem sapientia cantum  
 Protulit, & refugas tantum sonus attigit aures,

Concur-

Concurrere ferum vulgus ; numerosque modosque  
 Vocis & arcanas mirati in carmine leges  
 Densi humeris, arrecti animis, immota tenebant  
 Ora catervatim, donec didicere, quid usus  
 Discrepet à recto, qui fons aut limes honesti,  
 Quive fide cultus, quid jus æquabile, quid mos,  
 Quid poscat decor & ratio ; quæ commoda vitæ  
 Concilient inter se homines ; quæ foedera rebus ;  
 Quantum inconsultas ultra solertia vires  
 Emineat ; quæ dein pietas præstanda parenti,  
 Aut patriæ ; quantum juncti sibi sanguinis ordo  
 Vindicet, alternum quæ copula servet amorem :  
 Quod gerat imperium, fractura Cupidinis arcus,  
 Atque iras domitura truces, vis provida veri ;  
 Vis animæ, celsa quæ sic speculatur ab arce,  
 Ut vel in astrigere semet præcordia mundi  
 Insinuet, magnique irrumpat claustra Tonantis.  
 Agnorant se quisque feri, pudibundaque longum  
 Ora, oculos, taciti inter se immotique tenebant.  
 Mox cunctos pariter morum vitæque prioris  
 Pertæsum, ritusque ausi damnare ferarum  
 Protinus exeruere hominem : tum barbara primum  
 Lingua novos subiit cultus, arcanaque sensa  
 Mandavere notis, multaque tuenda virum vi  
 Mœnia succinctus populis descripsit arator.  
 Tum licitum vetitumque inter discrimina ferre,  
 Et pretium laudi & noxæ meditantia pœnam  
 Vindicibus cœptum tabulis incidere jura :  
 Mox & dictus Hymen, & desultoria certis  
 Legibus est adstricta Venus ; sic pignora quisque,  
 Affectusque habuere suos : bellique togæque  
 Innumeras commenti artes, etiam æthera curis

Substravere avidis; etiam famulantibus altum  
 Inferuere apicem stellis, animoque rotatos  
 Percurrere globos mundi, & sacra templa per orbem  
 Plurima lustrato posuerunt denique cœlo.  
 Sic species terris, vitæ sua forma, fuusque  
 Diis honor, ipsa sibi tandem sic reddita mens est.  
 An vero ille ferox, ille implacatus, & audax,  
 Viribus ille gravi prosternens cuncta lacerto,  
 Trux vitæ, præceps animæ, submitteret æquo  
 Colla jugo, aut duris pareret sponte lupatis,  
 Ni prius indocilem sensum facundia victrix  
 Vimque reluctantem irarum, flatusque rebelles  
 Carmine mollisset blando, pronisque sequentem  
 Auribus ad pulchri speciem duxisset honesti?  
 Quippe etiam stantes dulci leo carmine captus  
 Submittit cervice jubar, roseamque dracones  
 Erecti tendunt cristam, & sua fibila ponunt.  
 Ille quoque umbrarum custos, ille horror Averni  
 Cerberus, audita Getici testudine vatis,  
 Latratum posuit triplicem, tria sustulit hircens  
 Ora novo stupidus cantu, qui flexerat atram  
 Tifiphonen, sævo lacrimas conciverat Orco.  
 Ipsum fama Jovem, cum jam Cyclopea magna  
 Tela manu quatit insurgens, tonitruque coruscat  
 Horrisono, & cæcis miscet cava nubila flammis;  
 Ut tamen increpuit nervis & pectine pulcher  
 Delius, alternumque piæ cecinere sorores,  
 Placari, totumque suâ diffundere mundum  
 Lætitiâ, & subito cœlum instaurare sereno.  
 Nunc age, qui tanto facer hic furor incitet œstro  
 Corda virum, quam multiplices ferat enthea partus  
 Mens alto cognata polo, qui præmia doctæ

Frontis,

# IIO ANGELI POLITIANI

Frontis, Apollineas aut sibi necere lauros,  
 Incluta perpetuis mandarunt nomina sacris,  
 Expediam: faveat pulchro nunc Musa labori,  
 Musa quies hominum, Divûmque æterna voluptas.  
 Juppiter [ut perhibent] liquit per & ignea mundi  
 Tempora, per & stellis radiantibus æthera fixum,  
 Aurarumque animas, sola terræ, & cærulea ponti  
 Diffusus, errantes citharæ vico temperat orbes,  
 Ac rapidum imparibus cursans rotat intervallis;  
 Quem rata pars tamen, & certum confine diremit.  
 Hinc nostro major captus sonus exit, ætutus  
 Compensans gravibus septem in discrimina voces:  
 Stellantesque globos sua quæque innocua Siren  
 Possidet, ambrosio mulcens pia numina cantu.  
 Nec tamen in nullis hominum firmulaera resurgent  
 Mentibus, arcanam cœli testantia Musam,  
 Permixturemque Jovem: nam ceu tralucet imago  
 Sideris in speculum, ceu puro condita vitro  
 Solis inardescit radio vis limpida fontis;  
 Sic nitidos vatum defæcatosque sonori  
 Informant, flammantque animos modulamina cœli.  
 Is rapit evantem fervor, fluctuque furoris  
 Mens prior it pectus; tum clausus inæstuat alto  
 Corde Deus, toto lymphatos pectore sensus  
 Extimulans, sociumque hominem indignatus ad imas  
 Cunctantem absterret latebras, vacua ipse potitus  
 Sede per obsessos semet tandem egerit artus,  
 Inque suos humana ciet præcordia cantus.  
 Non illos cycnea mele, non Dædala chordis  
 Apta fides, non quæ duplici geniale resultant  
 Nabla citata manu, non vincat dulcior ille  
 Flatus inæquales digitis pulsantibus implens

Com-

Compresso de folle tubos, pius æmula contra  
 Jubila cui referunt chorus, alternisque lacessunt.  
 Agnoscas propere numen; suspirat anhele  
 Grandior ore sonus, quantusque impleverit antrum  
 Phœbados, aut rupem Euboicam: nec Martius illum  
 Terrificum clangens rauci canor æris obumbret,  
 Nec tonitrus Jovis, aut petulantibus incita flabris  
 Offæo pineta jugo, Nilive ruentis  
 Exurdans vicina fragor: mirantur & ipsi  
 Sæpe (quis hoc credat?) quæ nuper cumque recepto  
 Numine, legitimi cecinere oracula vates,  
 Caligatque animus visis: nec vindice lingua  
 Defendunt sua dicta sibi, postquam ille quievit  
 Spiritus, & pressi tacuit sacer impetus oris.  
 Ipsaque Niliacis longum mandata papyris  
 Carmina Phœbeos videas afflare furores,  
 Et coeli spirare fidem, quin sancta legentem  
 Concutiant parili turbam contagia motu,  
 Deque aliis alios idem profeminat ardor  
 Pectoris instinctu vates; ceu ferreus olim  
 Annulus arcanâ quem vi Magnesia cautes  
 Sustulerit longam nexu pendente catenam  
 Implicat, & cæcis inter se conferit hamis.  
 Inde sacros Musarum amnes, Heliconia Tempe  
 Multifoni celebrant numerofo guttore cycni.  
 Prima tamen dubias fuderunt carmina fortes.  
 Quippe etiam ante Jovem sagis instincta resolvit  
 Ora sonis Nereus, Nereus quem prisca marinum  
 Dictat fama senem; tuque ò consulte Prometheus,  
 Qui tenuem liquidis ignem furatus ab astris  
 Mirantem frustra Satyrum, captumque decoro  
 Lumine, ne flammæ daret oscula blanda, monebas.

Mox

Mox quoque Phocaico verum mugivit ab antro  
 Alma Themis, qua rupe pares utrinque volatus  
 Armigeræ posuere Jovis: tum Juppiter ipse  
 Fatidico movit cantu Dodonida quercum,  
 Præsciaque in Libycis concussit cornua lucis:  
 Moxque Lycaonias Pan: carnine terruit umbras,  
 Carmen Apollinei tripodes, laurusque locutæ,  
 Quæque coronatum sonuere Philefia Branchum,  
 Pastorem Branchum, tribuit cui gratus amorum  
 Sortilegas voces admissus ad oscula Pæan.  
 Et sua per carmen ducibus responsa Latinis  
 Noctivagus cecinit calcato vellere Faunus:  
 Vos quoque per carmen triplices oracula Parcæ  
 Vestra datis, quin & veteres prompsere Sibyllæ  
 Carmen, Amalthea, & fati Marpesia dives,  
 Herophileque Idæa genus, prædoctaque Sabbe,  
 Demoque, Phegoque, & veri gnara Phaënnis,  
 Et Carmenta parens, & Manto & Pythia longos  
 Phemonoë commenta pedes, & filia Glauci  
 Deiphobe, nimium vivax, & Marcia fratrum  
 Nomina, lymphatusque Bacis, subterque Triones  
 Natus Hyperboreus Ollen, inque Atthide terra  
 Clarus honore Lycas, Dodoniadesque columbæ.  
 Nam quid ego innumeras variantem Protea formas,  
 Sed dubio risus vultu lacrimasque perosum,  
 Quidve loquar te Glauce senex? plenumque parente  
 Idmona, fulminei prostratum dentibus apri?  
 Ampycidenque pium? Libycis quem fudit arenis  
 Vipera fatifero fauces accensâ veneno.  
 Quid te, cui volucrum linguæ patuere, Melampu?  
 Quid, cui post visos nudatæ Pallados artus  
 Cernere nil licitum? quid quem impia prodidit uxor,  
Hosti-

Hosticaque hausit humus? quique alto in melle necatum  
 Restituit luci, quo nuper vixerat anguis  
 Gramine Minoum Dictæo carcere Glaucum,  
 Aut qui mille rates peritura ad Pergama duxit  
 Thestoriden, aut qui magicâ fera murmura linguâ  
 Ingeminans liquido deduxit ab æthere fulmen  
 In caput ipse suum, propugnarique bidental  
 Jussit, Achæmenium servantia busta tiaram?  
 An memorem Solymos prælustria nomina vates?  
 Psallentemque Deo regem, qui turbine fundæ  
 Icta Philistæo secuit puer ora giganti?  
 Teque Palæstini laqueantem culmina templi  
 Mentis opumque potens Solomon, nec odora tacentem  
 Oscula sollicito languentis amore puellæ:  
 Pars hymnos fudere Deo; sic maximus ille  
 Nondum clara sacris radiatus tempora Moses  
 Ignibus, ut rubras sicco pede transiit undas,  
 Demerso insignem cecinit Pharaone triumphum.  
 Tuque puer modo dicte mihi Jessæ vicissim  
 Dulcia terribili mutans psalteria bello,  
 Voce Deum placas; ut quos Babylone rebelli  
 Lambit in horrifonis non noxia flamma caminis:  
 Quosque alios veteris gens servantissima ritus  
 Retrorsum Judæa legit; sed enim æthera magnum,  
 Custodesque aliis genios (ita jusserat error  
 Publicus) innumerofque lares, functosque sepulchris  
 Mille Deos, variisque animatum partibus orbem,  
 Heu frustra coluere pii, veniamque rogantes,  
 Quali acumque suo placabant numina cantu.  
 Mox chaos & teneri prima incunabula mundi,  
 Et Divûm genus, atque hominum, & Titania sæcla  
 Non humili dixere tubâ, quoque edita partu



## 114    A N G E L I P O L I T I A N I

Gramina, frondiferumque nemus, gentesque ferarum,  
 Quidve parens Natura agitet, quosque aurea ducant  
 Astra choros; ut se fraternis Delia flammis  
 Induat, & radiis eadem mox depleat hauffis:  
 Quæ cœlo portenta volent; quemve ille tumultum  
 Misceat; aut quantis varietur ab ignibus aër;  
 Quo saliat quâssante solum; qui torqueat error  
 Oceani refluxas undas, molemque natantem.  
 Inde sacrosanctas modulati carmine leges  
 Multifonum fecerent Nomon: nec vulnera tantum  
 Sæva, sed & cæcos vincebant carmine morbos  
 Sacrifici quondam nec Diis ignara poetæ  
 Nomina: quin magicas arcano murmure linguas  
 In varios duxere modos: nec fabula mendax  
 Parrhasio lapides movisse Amphiona plectro,  
 Orpheos atque lyram curvâ de valle secutas  
 In caput isse retro liquido pede fluminis undas;  
 Cumque suis spelæa feris, cum rupibus ipsis  
 Dulcia Pierias properasse ad carmina fagos;  
 Quæque avis applauso libraret in aëre pinnas,  
 Pæne intercepto vix se tenuisse volatu.  
 Illius argutis etiam patuere querelis  
 Tartara, terrificis illum villosa colubris  
 Tergemini stupuere canis latrantia monstra.  
 Tum primum & lacrimas invita per ora cadentes  
 Eumenidum, Stygii conjunx mirata tyranni  
 Indulxit vati Eurydicen; sed muneris usum  
 Perdidit, heu, duræ nimia inclementia legis.  
 At juvenem postquam Thressarum injuria matrum  
 Frustra suave melos, frustra pia verba moventem,  
 Disperfit totis lacerum furialiter agris;  
 Cum lyra divulsam caput à cervice cruentâ

Heu

Heu medium veheret resonans lugubre per Hebrum,  
 Reliquias animæ jam deficientis amatam  
 Movit in Eurydicen, tamen illam frigidus unam  
 Spiritus, illam unam moriens quoque lingua vocabat.  
 Lesboum stupuit vulgus, cum flere natantes  
 Sponte fidés, atque os domini vectare cruentum  
 Vidit, & heu lassus velut aspirare querelis.  
 Improbus hanc stultè chelyn affectare Neanthus  
 Ausus, Apollineâ pendentem sustulit æde.  
 Quem tamen indocto ferientem pollice chordas  
 Vindice discerpit rictu nocturna canum vis :  
 Illa recepta polo ceu quondam saxa nemusque,  
 Sic nunc stelliferis agit aurea cornibus astra.  
 Quin & Pellæi quondam præfaga triumpho  
 Delicuit sudore sacro Libethris imago :  
 Tantus honor Getico fuit & post funera vati.  
 At tu, qui merito dulcem cratera magistro  
 Obtuleras, volucris penetrans in sæcula famâ,  
 Cantando trahis Elyfios, Musæ, minores.  
 Contrâ autem indocilem nimis execratur alumnum  
 Immemoremque Linus vocat ingratumque laborum  
 Amphitryoniaden, qui quondam triste perosus  
 Doctoris magni imperium, veneranda rebelli  
 Contudit ora lyrâ, & clamantem plurima frustra,  
 Tendentemque manus, obtestantemque peremit ;  
 Heu non ista piæ meritum sibi præmia linguæ !  
 Jam Methymnæum vatem delphine revedtam,  
 Jam Tamyram cantu doctas anteire sorores  
 Fretum, mox citharæ damnatum, & luminis orbem  
 Quis nescit ? princeps idem (ni vana vetustas)  
 Ad faciles venerem illicitam convertit ephebos,  
 Insignemque sacro tulerat certamine palmam

## 116 ANGELI POLITIANI

Tertius : hoc etenim Cirrhæus honore Philammon  
 Claruit ante pater : sed Cres prævenerat ambos  
 Chrysothemis : nam Demodoci vivacior ævo  
 Fanta Meleteis gaudet juvenescere chartis ;  
 Et tu Neritias invito pectine mensas  
 Qui celebras : etenim ut stellas fugere undique cœlo,  
 Aurea cum radios Hyperionis exeruit fax,  
 Cernimus & tenuem velut evanescere lunam ;  
 Sic veterum illustres flagranti obscurat honores  
 Lampade Mæonides : unum quem dia canentem  
 Facta virûm, & sævas æquantem pectine pugnas,  
 Obstupuit, prorsusque parem confessus Apollo est.  
 Proximus huic autem, vel (ni veneranda senectus  
 Obstiterit) fortasse prior, canit arma virumque  
 Virgilius, cui rure sacro, cui gramine pastor  
 Ascæus, Siculoque simul cessere volentes :  
 Quem non tabifico mordax attingere Livor  
 Dente queat, Livor tandem & Sandalion ausus  
 Carpere, cum dominam asseruit sua forma Dionen.  
 Excipiunt gemini procul hos, longèque sequuntur  
 Qui septem Cadmea vocent ad mœnia reges.  
 Hunc Phœbea Claros, Cumæa Neapolis illum  
 Protulit ; hic elegis etiam tua funera Lyde  
 Flet pius ; herois ille audax versibus effert  
 Magnanimum quoque Peliden ; hic denique magni  
 Instar habet populi, pendentem ad verba Platonem ;  
 Ille etiam sylvis partum sibi prædicat aurum.  
 Ecce alii primo tentatum remige pontum,  
 Palladiumque ratem, tabulasque dedere loquaces :  
 Quorum Threicio personam primus ab Orpheo  
 Accepit genitus Miscelli gente salubri :  
 Alter Alexandri Nilotidas abnegat arces

Exofus

Exofus natale solum, tumidamque Colosso  
 Solis, & irriguam pluvio Rhodon expetit auro.  
 Hujus in Aufonio vestigia pulvere Varro  
 Pone legit, linguæ haud opulens, ut barbara Narbo,  
 Ut quem parvus Atax Latiae transcripserat urbi,  
 Atque idem imparibus proprios exponit amores,  
 Leucadiamque suam numeris, succedere magno  
 Aruncæ quondam frustra conatus alumno. *Aruncæ*  
 Nam te, Flacce, sinu sulcantem cærule pleno,  
 Heu juvenum cursu excussit mors sæva priusquam ~~mem~~  
 Æsonides Pagasas, patriamque relictus Iolcon.  
 At tibi Dædaleos monitus, Heliconie vates,  
 Qui sequeris, neque ventosis in nubibus alas  
 Expandis, neque serpis humi, sed præpete lapsu  
 Ceu medium confine teris, quo carmine dignas  
 Addiderim tandem, quove ore aut pectore laudes?  
 Scilicet huic patriis pecudes in vallibus olim  
 Servanti, cunctæ sese indulgere videndas  
 Aonides, laurumque viro vocemque dedere,  
 Qua Superum caneret stirpem, præceptaque morum,  
 Descriptosque dies operum, clypeumque tremendi  
 Herculis, & veteres Divum genus Heroinas.  
 Ergo & Chalcidico vatum certamine quondam  
 Rettulit auratum tripodæ, & (si vera minores  
 Audimus) cantu magnum quoque vicit Homerum;  
 Moxque dolo extinctum, mersumque ad littora tristis  
 Delphinum vexere chorus, nec defuit index  
 Turba canum, medioque darent qui corpora fontum  
 Mersa mari, & meritam placarent mortibus umbram;  
 Ossaque fatali tellus Minyæa sepulchro  
 Nunc habet, annosæ conspectu inventa volucris.  
 Nec quæ magnanimum nodosæ robore clavæ

Instruit Alciden, nullum nomenque decusque  
 Conciliat sterili Pisandria Musa Camiro.  
 Nec qui bisseos iterum memorare labores  
 Audet, & à primo yatum figmenta priorum  
 Usque chaos repetit, non saltem laudibus æquet  
 Ascræum, Clariumque senes, neque Chalcis alumnum  
 Euphorionæ tacet, vario qui personat ore  
 Mopsopiam, neque Tyrtæi Lacedæmonæ cantu  
 Victricem se ferre pudet, licet impare gressu  
 Tenderet: adde novis mutantem corpora formis  
 Parthenium, pictique notantem lumina mundi  
 (Namque hoc præcipue se carmine jaçtat) Aratum,  
 Cui cor ab intonsi fax ore accensa Philini  
 Urebat miserum, quem terra Cilissæ recepit,  
 Et portentoso celebrem dedit esse sepulchro.  
 Nec te quem Colophon tulerit Nicandre tacebo  
 Pæoniis celebrem studiis, qui nigra venena  
 Prodis, & emissas serpentum fauce salivas:  
 Tum medicam subjungis opem, prædicere finem  
 Morborum, & tacitas gnarus deprendere causas:  
 Atque idem pia rura sonas, dulcissima miscens  
 Austero figmenta operi: sed lustrâ ferarum  
 Scrutatur, captat volucres, prolemque natantum,  
 Mox dat habere Pio gratissimus Antonino  
 Oppianus, docti prædives honore laboris,  
 Pingit & exiguis totum Dionysius orbem  
 Terrarum in tabulis: sed non & prælia Bacchi  
 Nonnus in exiguâ potuit contexere telâ.  
 Battiades Hecalen sonat, & Marathonia gesta  
 Celsior assueto, causasque ætate latentes  
 Prodit, & undeno molles pede cantat amores:  
 Et nunc ingratum tenebrosus devovet Ibin;

Nunc

Nunc Superos celebrat, nunc tristibus ardet iambis,  
 Nunc humili premitur focco, nunc ille cothurno  
 Altior affurgit, centumque poemata pangens  
 Dissipat in varios Heliconia flumina rivos.  
 Sed Tiberim dominum rerum, mundique potentem  
 Ambigitur, riguine tener Sulmonis alumnus  
 Nobilitet magis, an verò tibi Roma pudori  
 Sit potius, Geticâ sic semisepultus arenâ,  
 Proh dolor! exul, inops, nimium quia forsan amico  
 Lumine Cæsareæ spectaverit ora puellæ.  
 Ille novas primo facies transformat ab ævo:  
 Ille Cupidineas versu canit impare flammâs:  
 Involuitque novum dubiis ambagibus Ibin:  
 Vel dat amatricum dictatas ore tabellas:  
 Vel miser exilium cyneo gutture deflet:  
 Temporaque & causas Romani digerit anni,  
 Vel memorat pisces, & adhuc ignara Latinis  
 Nomina, vel cœlo labentia computat astra,  
 Et replet astrictas diverso epigrammate chartas:  
 Confutum quoque Syrma trahit, suspendit & unca  
 Nare malos (quorum nunc omnia plena) poëtas,  
 Indulgens tamen usque sibi: nam præditus acri  
 Nimirum ingenio faciem putat esse decoram  
 Carminis, inspersus maculet quam denique nævus,  
 Jam senior triplici vates qui corde superbit  
 Meonides Italis (ni fallunt visa) secundus  
 Bella horrenda tonat, Romanorumque triumphos,  
 Inque vicem nexos per carmina digerit annos,  
 Arte rudis, sed mente potens, parcissimus oris,  
 Pauper opum, fidens animi, morumque probatus,  
 Contentusque suo, nec bello ignarus, & armis,  
 Quem Rudiis ortum rigidi quæstura Catonis

Ad septemgeminas juvenem deduxerat arces:  
 Mox comes armorum Fulvî, qui sanguine partas  
 Scilicet haud dubitat Latris sacrare Camœnis  
 Exuvias, dedit Ætolis hostilia campis  
 Corpora multa neci, longa gratissimus idem  
 Scipio magne tibi, & Calabria vicinus in hortis  
 Virtute cœcenis, cujus gentile sepulchrum  
 Mox tenuit, nullo patiens sua funera fletu  
 Prodeci, nullique virum volitare per ora,  
 Præterea tragico bove ampullosus hiatu:  
 Comica lascivo proscœnia laxat iambo  
 Exponit Satyros, Latioque Evhemeron infert:  
 Et modò reprehensio deflorans carmina Nævi,  
 Carmina, quæ quondam Fauni vatesque cantant;  
 Mox gemet ipse suo natas in littore conchas  
 Præculturum purgare fimo, & sibi ferre Maronem.  
 Sed quanquam inprimis docto Verona Catullo  
 Gaudet, vulnificos elegis qui miscet iambos,  
 Et sub adoptivum redigit te Clodia nomen;  
 Parturit & fortem forti quoque carmine Achillem,  
 Atque urbis præceres multo sale defricat audax,  
 Cæsareæque notas & inurit stigmata fronti,  
 Non nihil Æmilium tamen hæc quoque jactat alumnum,  
 Textentem tenui Macrum subtegmina filo;  
 Dum volucres numeris, dum gramina pingit & angues;  
 Nec qui philtrea bibit, nimioque insanus amore  
 Mox ferro incubuit, sic mentem amiserat omnem,  
 Ut non sublimi caneret Lucretius ore  
 Arcanas mundi causas, elementaque ferum  
 Doctus, & Arpini tamen exploratus ab ungui.  
 Scilicet & veteres naturam pandere Graii  
 Carmine tentarunt celebri, ceu maximus ille

Æri-

Ærifonas pedibus qui quondam indutus Amyclas  
 Infiluit Siculi rapidum cratera camini :  
 Et cui de vocum tenebris cognomina fleti  
 Addita, quosque alios studio sapientia dulci  
 Implicuit cecinitque diu memoranda vetustas.  
 Emicat Hesperio trifidum ceu fulmen ab orbe,  
 Qui vix puber adhuc, rudibusque tenerimus annis  
 Hæmonios iterat currus, iansoque repensum  
 Hæctora, Tartareasque domos, dirumque Neronem,  
 Orpheaque, & meritæ peragit præconia Pollæ:  
 Lascivitque jocos, ac torrens voce soluta  
 Dulichias æquare nives, & fulmina tendit,  
 Quanta Pericleo lepor intorquebat ab ore:  
 Mox tonat ardenti Pharsalica prælia cantu,  
 Ægyptique nefas, primo vix flore genarum  
 Conspicuis, torvo quem protinus ore secundum  
 Respexit, captæ vix ausus fidere palmæ  
 Virgilius, sed iniqua bonis Rhamnusia tantis,  
 Heu decus hoc orbi invidit, ne vindice ferro  
 Assereret miseræ incesto à principe terras.  
 Tu felix tamen, ô juvenis, (nam conscia poenam  
 Corda levant) felix inquam, licet ille cruentum  
 Rugiat, & truncas deficcet sanguine venas,  
 Fronte minax, diræque instinctus verbere matris.  
 Macte animo, non te ô vates Parnasside lauru  
 Nequicquam Deus & citharâ dignatus honorâ est.  
 Post hunc Sidoniæ damnat perjuriam gentis  
 Emeritosque foro, Musis tandem adserit annos  
 Sillius, Ausonio qui quondam fulgidus ostro  
 Expulit horribilem vitæque aulaque tyrannum,  
 Ipse obiit plenusque ævi, natoque superstes  
 Aspera congenito fixus vestigia clavo.



An taceam Bassum gravido tua dona ferentem  
 Vespasiane sinu? & fantem Sicula arma Severum?  
 Aut te Sidonias repetentem Pontice Thebas?  
 Aut Pelusiaci missum de plebe Canopi  
 Pulchra suum quem nunc Florentia jactat alumnum,  
 Gaudentem Stygio dominam junxisse marito,  
 Magnanimum vagos ducis ostentare labores?  
 Aut te Niliacâ relegentem sidera curâ  
 Bis vates Manli, & Babylonia signa sequentem?  
 Quosque sibi æquæ vos puro vocalior ore,  
 Ne qua laboranti incumbant oblivis famæ,  
 Naso refert, quæ tuli tangens confinia Ponti?  
 Et qui Smyrnæis poterat contendere plectris  
 Valgius, ut ter si memoret pia musa Tibulli;  
 Musa sibi primos quæ jure adsciscat honores  
 Imparibus numeris, ni blanda Propertius ora  
 Solvat, & ambiguum faciat certamine palmam.  
 Plania materiam teneri dat & Hostia cantus  
 Nomine supposito, ceu Galli mimæ Citheris  
 Personam falsæ lasciva Lycoridos adfert  
 In scenam & docto clausam se jactat amanti,  
 Dum miser ipse suo fodiat præcordia ferro.  
 At non exigui tenuis quoque pagina Calvi  
 Dissimulat pulchram, sed acerbo funere raptam  
 Quintiliam, nec Cæus ad hæc non sacra Philetæ,  
 Quanquam est æger, adest; quanquam vestigia lento  
 Fulta gravat plumbo: nec qui sine amore jocisque  
 Jucundum nil esse putat: quid rustica dicam  
 Jubila pastorum silvis meditata sub altis?  
 Ut patrias Moschus non inficietur avenas:  
 Externasque Bion, ut opacâ Tityron umbrâ  
 Provocet Ausonio Calphurni fistula cantu?

Aërios

Aërios procul in tractus, & nubila supra  
 Pindarus it Dircaeus olor, cui nectare blandæ  
 Os tenerum libastis apes, dum fessa levaret  
 Membra quiete puer mollem spirantia somnum.  
 Sed Tanagræa suo mox jure poëtria risit,  
 Irrita qui toto fereret figmenta canistro.  
 Tum certare auro palmam interceptit opimam  
 Æoliis prælata modis, atque illice forma.  
 Ille Agathocleâ subnifus voce coronas  
 Dixit Olympiacas, & qua victoribus Isthmos  
 Fronde comam, Delphique tegant, Nemeæaque tesqua,  
 Lunigeram mentita feram: tum numina Divum  
 Virtutesque, virosque undanti pectore torrens  
 Provexit, sparfitque pios ad funera questus.  
 Frugibus hunc libisque virum Cyrrhæus ab ara  
 Phœbus, & accubitu mensæ dignatus honore est:  
 Panaque pastores solis videre sub antris  
 Pindarico tacitas mulcentem carmine sylvas;  
 Inde senem pueri gremio cervice reposta  
 Infusum, & dulci laxantem corda sopore,  
 Protinus ad manes & odoro germine pictum  
 Elysium tacitâ rapuit Proserpina dextrâ.  
 Quin etiam hostiles longo post tempore flammæ,  
 Quæ septemgeminas populabant undique Thebas,  
 Expavere domum tanti tamen urere vatis,  
 Et sua posteritas medios quoque tuta per enses  
 Sensit inexhaustâ cinerem juvenescere famâ.  
 Non ego te longo præsignis Anacreon ævo  
 Transferim bicolore caput redimite racemo:  
 Cui citharæ cordi, cui nigri poculâ Bacchi  
 Semper, & ancipiti stimulans Amathusia curâ,  
 Nam modo Threicii crinem miraris ephēbi,

Nunc

Nunc Samium celebras (jubet Adraftea) Bathyllum.  
 Nunc teneram Eurypylen, tenerumque Megisthea laudas,  
 Tandem acino passæ cadis interceptus ab uvæ.  
 Ipse Lyci nigros oculos, nigrumque capillum,  
 Quamque vides digito nativam inolescere gemmam,  
 Exactosque carnis, pugna Alcæ, tyrannos,  
 Æolium docto pertentans barbiton auro,  
 Arma sed Actææ tua fles sospensa Minervæ.  
 Sustinet heroi validâ testudine pondus  
 Carminis, & damnans Helenen, laudanque vicissim  
 Amittit, recipitque oculos tuus Imera civis  
 Stesichorus, quem trux Phalaris veneratus & hostem est.  
 Cujus & in labris sedit puerilibus olim  
 Daulias, & vestrum Musæ cantavit alumnum.  
 Sed vocat ad lacrimas Cei pia Nænia vatis,  
 Unum Mnemosyne quondam, præque omnibus unum  
 Quem coluit, sævæ quem subtraxere ruinæ  
 Ledæi juvenes, vacuam cui tristis ad arcam  
 Gratia flet laniata comas, nudata lacertos:  
 Quique sui vindex fuit & post fata sepulchri.  
 Ipsi etiam patriâ pressi brevitate Lacones  
 Adscitum largo tamen ore Alcmana recensent:  
 Quem tulit auriferos ostentans Lydia fontes:  
 Nunc gemit heu tineis artus, & tabe peresum.  
 At te, cui numeros dictat Dea Suada canoros,  
 Ibyce, quique marem tantum meditaris amorem,  
 Nec Superi, nec avis pygmæa reliquit inultum;  
 Et nunc Rheginis tua sedibus ossa quiescunt.  
 Nec vulgare canit dulcis ab Julide Siren  
 Bacchylides: sed enim lyricis jam nona poëtis  
 Æolis accedit Sappho, quæ flumina propter  
 Pierias legit ungue rosas, unde implicet audax

Serta

Serta Cupido sibi, niveam quæ pectine blando  
 Cyrenen, Megaramque simul, cumque Athide pulchram  
 Cantat Anactorien, & crinigeram Telestippen.  
 Et te conspicuum recidivo flore juventæ  
 Miratur. revocatque Phaon, seu munera vectæ  
 Puppe tuâ Veneris, seu sic facit herba potentem:  
 Sed tandem Ambracias temeraria saltat in undas.  
 Quæ toties Gorgo, toties incesserat atrox  
 Famosam Andromeden, patriæque libidine turpem.  
 Non illi Praxilla suos, prædoctaque Noffis  
 Contulerint, Myrtisque modos; non dulcis Agacle,  
 Non Anyté, non quæ versus Erinna trecentos  
 Castalio ceu melle rigat; non candida Myro,  
 Non Telestilla ferox; non quæ canit ægida sævæ  
 Pallados effusum crinem vittata Corinna.  
 Illam etiam decimo cunctæ accepere sedili  
 Pierides, fertumque novem de floribus auro  
 Contextum nitidis lætæ imposuere capillis.  
 Hinc Venusina favos dulci jucunda susurro  
 Carpsit apes, sed acu ferit irritata cruento.  
 Hæc eadem rigidis Auruncæ in vepribus errans,  
 Quas Persi manus, & bilem succensus Aquinas  
 Mox legere sibi: neque enim his metuendus iambo  
 Certet Echidnæo, licet acrem effusus in iram  
 Ore Lycambiadas rabioso occiderit ambos  
 Archilochus, medio licet illum in Marte peremptum  
 Vindicet, & nigro sit Pythia dura Calondæ.  
 Nec ferus Hipponax, atro qui felle cruentus  
 Bupalon & stratum morsu laniavit Athenin:  
 Nec Batius, spinisque Bibaculus asper acutis.  
 Multi Bacche tuo proculcavere cothurno  
 Fortunas regum ambiguas, & scepra tyrannis

Extor

Extorsere feris, totumque tremore metuque  
 Horribiles, totum luctu opplevēre theatrum.  
 Pluraque Palladiæ quondam impendistis Athenæ,  
 Dum scena Oedipoden pavidumque agitatis Orestem,  
 Atreæque, & medicâ percussū Telephon hastâ,  
 Oenidæque facem, furiisque Alcæona pulsum,  
 Quosque alios olidum cantor produxit ob hircūm,  
 Quam; cum barbarico Marathonia sanguine tellus  
 Incaluit, multoque obstructæ funere Xerxen  
 Thermopylæ tardâ refugum videre carinâ,  
 Auctorem perhibent Thespin, quem justa Solonis  
 Cura cothurnatis jussit descendere plaustris.  
 Tres porrò insignem sibi defendere coronam,  
 Æschylus aëriæ casu testudinis ictus,  
 Quemque senem meritæ rapuerunt gaudia palmæ,  
 Quemque tegit rabidis lacerum pia Pella molossis.  
 Invasere locum Pleias septena secundum.  
 Quippe alios, quos nec centum sit dicere linguis,  
 Fortunæ nunc quemque suæ famæque relinquam;  
 Ni Latium Varius tamen objectare Thyesten  
 Ambiat, atque suum jactet mihi Corduba vatem,  
 Cujus ad Herculeum tremefacta orchestra furorem est.  
 Ecce & grandiloquo semet quoque suggerit ore  
 Accius, & magnâ conturbat voce canentem  
 Pacuvius, nitidumque ostentat Musa secundum.  
 Adde & mordaci quatientem pulpita risu  
 Eupolin, in medium quem mendax fabula pontum  
 Cliniadæ manibus puppi deturbat ab altâ.  
 Quique leves nebulas Actææ effuderat urbi  
 Salsus Aristophanes, compotoremque Cratinum.  
 Adde novos etiam foccos, exempla que morum,  
 Et variæ specimen vitæ: jam grata Menandro

Posteritas,

Posteritas, ipsoque volente Philemone palmam  
 Restituit : longe sequitur quem plurima turba  
 Haud nostro referenda sono ; sed pagina docti  
 Reddit Athenæi tamen, insinuatque futuris.  
 Claudicat hic Latium, vixque ipsam attingimus umbram  
 Cecropiæ laudis, gravitas Romana repugnat  
 Scilicet : & quamvis veterum sit multus in ore  
 Cæcilius, quamvis jucundi scripta Terenti  
 Scipio diffimulet, quamvis Plautina Camœnis  
 Lingua opicis placeat ; scenam tamen ipsa suorum  
 Æneadum fugit alma Venus, tantumque togatis  
 Interdum Afrani grato se indulget honore,  
 Hos tamen atque alios Volcatius ordine sistit  
 Sedigitus ; mimos sed enim scripsere protervos,  
 Implicitusque Sophron, risuque Philistio tandem  
 Perditus, hinc Laberi lascivia, multa que Publi  
 Claruit Aufonio sententia dicta theatro.  
 Pars quoque Sotadicos ceu prostituere cinædos :  
 Pars tenues sparsere sales epigrammate multo.  
 Sed Latio celebres, quem misit Iberia Marcum,  
 Romuleumque suis exornans fascibus annum  
 Aufonius : mitto Hortensi, doctique Catonis,  
 Qui solus legit quondam fecitque poëtas.  
 Mitto & Cornifici lusus, Tucidæque Perillam,  
 Et Cinnam obscurum, teque ore protervior Anser :  
 Pammetron hic cecinit, Sillos dedit ille licentes.  
 Ille Menippeæ joca miscellanea peræ  
 Inferlit : Satyros alius nudavit agrestes ;  
 Et patuere novæ per mille poëmata curæ.  
 Quas ego, si Pylæ duplicentur tempora vitæ  
 Jam mihi, si cunctas nostra in præcordia voces  
 Pama ferat, rigidoque sonent hæc pectora ferro,

Non amplecti ausim numero, non ore profari  
 Evaleam tantæve situm indagare senectæ.  
 Nec tamen Aligerum fraudarim hoc munere Dantem  
 Per Styga, per stellas, mediique per ardua montis  
 Pulchra Beatricis sub virginis ora volantem.  
 Quique Cupidineum repetit Petrarcha triumphum :  
 Et qui bis quinis centum argumenta diebus  
 Pingit, & obscuri qui semina monstrat amoris :  
 Unde tibi immensæ veniunt præconia laudis  
 Ingeniis opibusque potens Florentia mater.  
 Tu verò æternam per avi vestigia Cosmi,  
 Perque patris (quis enim pietate insignior illo?)  
 Ad famam eluctans, cujus securus ad umbram  
 Fulmina bellorum ridens procul aspicit Arnus,  
 Mæoniæ caput, ô Laurens, quem plena senatu  
 Curia, quemque gravi populus stupet ore loquentem,  
 Si fas est, tua nunc humili patere otia cantu,  
 Secessusque sacros avidas me ferre sub aures.  
 Namque importunas mulcentem pectine curas  
 Umbrosæ recolo te quondam vallis in antrum  
 Monticolam traxisse Deam, vidi ipse corollas  
 Nexantem, numerosque tuos pronâ aure bibentem :  
 Viderunt focii pariter, seu grata Dianæ  
 Nympha fuit, quanquam nullæ sonuere pharetræ ;  
 Seu soror Aonidum, & nostræ tunc hospita sylvæ.  
 Illa tibi, lauruque tuâ, semperque recenti  
 Flore comam cingens, pulchrum inspiravit amorem,  
 Mox & Apollineis audentem opponere nervis  
 Pana leves calamos nemoris sub rupe Pheræi,  
 Carmine dum celebras, eadem tibi virgo vocanti  
 Astitit, & sanctos necopina afflavit honores.  
 Ergo & nocticanum per te Galatea Corinthum

Jam

Jam non dura videt : nam quis flagrantia nescit  
 Vota, Cupidineoque ardentem igne querelas ?  
 Seu tibi Phœbeis audax concurrere flammis  
 Claro stella die, seu lutea flore sequaci  
 Infelix Clytie, seu mentem semper oberrans  
 Forma subit dominæ, seu pulchræ gaudia mortis,  
 Atque pium tacto jurantem pectore amorem,  
 Atque oculos canis, atque manus, niveisque capillos  
 Infusos humeris, & verba, & lene sonantis  
 Murmur aquæ, violæque comas, blandumque soporem,  
 Lætaque quam dulcis suspiria fundat amator,  
 Quantum addat formæ pietas, quàm sæpe decenter  
 Palleat, utque tuum foveat cor pectore Nymphæ.  
 Non vacat argutosque sales, Satyraque Bibaces  
 Descriptos memorare senes ; non carmina festis  
 Excipienda choris, querulasve animantia chordas.  
 Idepm etiam tacitæ referens pastoris vitæ  
 Otia, & urbanos thyrsos extimulante labores,  
 Mox fugis in cœlum, non ceu per lubrica nisus,  
 Extremamque boni gaudes contingere metam.  
 Quodque alii studiumque vocant, durumque laborem,  
 Hic tibi ludus erit : fessis civilibus actis,  
 Huc is emeritas acuens ad carmina vires.  
 Felix ingenio, felix cui pectore tantas  
 Instaurare vices, cui fas tam magna capaci  
 Alternare animo, & varias ita necere curas.  
 Quod ni blanda meum lactant præfagia sensum,  
 Ni pietas, ni longus amor, ni vana magistros  
 Aura suo nimios jubet indulgere favores  
 Quemque operi, ni me tacita experientia fallit,  
 Ibit in exemplum natus, mea maxima cura,  
 Ibit in acta patris, sese tantâ indole dignum



## 130 ANGELI POLITIANE

Præstabit: iustis nondum tribus ecce peractis  
 Jam tamen in Latium Graeæ monumenta senectæ  
 Evocat, & dulci detornat carmina plectro,  
 Meque per Aoniæ sequitur compendia sylvæ,  
 Ereptans avidè montem, jamque instat anhelò.  
 It jam pæne prior: sic, ô sic pergat, & ipsum  
 Me superet majore gradu, longèque relinquat  
 Protinus, & dulci potius plaudatur alumno,  
 Bisque mei victore illo celebrentur honores.

## R U S T I C U S.

*In poetæ Hesiodi, Virgilioque Georgicâ enarratione  
 pronunciata.*

**R**URIS opes saturi, gnavoque agitanda colono  
 Munera, & omniferæ sacrum telluris honorem  
 Ludere septenâ gestit mea fistula cannâ,  
 Fistula Mantoræ quam nuper margine ripæ  
 Ipse reidenti dum dat mihi Tityrus ore,  
 Hac puer Ascræum repete, inquit, arundine carmen.  
 Pan ades, & curvi mecum sub fornice faxi  
 Versibus indulge, medio cum Phoebus in axe est,  
 Dum gemit ereptâ viduatus compare turtur,  
 Dum sua torquati recinunt dictata palumbes.  
 Hic resonat blando tibi pinus amata susurro;  
 Hic vaga coniferis insibilat aura cupressis;  
 Hic scatebris salit & bullantibus incita venis  
 Pura coloratos interstrepit unda lapillos:  
 Hic tua vicinis ludit lasciva sub umbris  
 Jamdudum nostri captatrix carminis Echo.  
 Felix ille animi, Divisq; simillimus ipsis,

Quem

Quem non mendaci resplendens gloria fuco  
 Sollicitat, non fastosi mala gaudia luxus:  
 Sed tacitos finit ire dies, & paupere cultu  
 Exigit innocuæ tranquilla silentia vitæ,  
 Urbe procul, voti exiguus, fortemque benignus  
 Ipse suam fovet, ac modico contentus acervo,  
 Non spes corde avidas, non curam pascit inanem;  
 Securus quo sceptrâ cadant, cui dira minentur  
 Astra, & sanguinei jubar exitiale cometæ.  
 Non illum fragilis favor, indocilisque potenti  
 Plebs fervare fidem, evertum popularibus auris  
 Casuro imponit folio; nec ducit hiantem  
 Huc illuc vanos ostentans purpura fasces.  
 Non mentem pavet ipse suam, nec conscius omnes  
 Exhorret strepitus, nec edaci pectora culpâ  
 Carpitur oeculte: non opportunus iniqui  
 Judicio vulgi, aut celsâ conspectus in arce  
 Degeneri patet invidiæ: non ipse vicissim  
 Obliquo livore macet, scetusque veneno  
 Æstuat; atque aliena oculis bona limat acutis.  
 Rure agit in vacuo, spatiisque indulget aperti  
 Ætheris, aut operi insudans, aut ille supinos  
 Evadens cursu in montes: hinc scilicet omnes  
 Gratæ epulæ; nudis Acheloum in pocula palmis  
 Advocat, excussæque cibos dant brachia sylvæ,  
 Et fessa in duro renovantur membra cubili.  
 Major quippe venit comitata labore voluptas,  
 Nec satias dominam, aut fastidia lenta sequuntur.  
 Ergo nec ignibrifero pallens Autumnus hiatu,  
 Nec malus hunc afflat rabioso Sirius astro,  
 Sævave Riphææ labefactant frigora brumæ:  
 Quippe hiemem excipere, & ventos, cœlique ruinam

Suetum, atque oſtipedem nec opaco vertice cancrum,  
 Et Jove ſub gelido nocturnos carpere ſomnos,  
 Et pede concretas nudo calcare pruinas,  
 Et perferre ſitim, & jejunia ſolvere glande,  
 Et laſſare feras curſu, & ſuperare natatu  
 Torquentem, & volucris foſſam tranſmittere ſaltu,  
 Et quercum annofam ferro obturbare bipenni;  
 Tum prædam extorquere lupo, faſciſque maligno  
 Subjeciſſe humeros, & iniqui pondera raſtri  
 Prædurâ tractare manu, & domitore lacerto  
 Sub juga cornigeri colla obluſtantia tauri  
 Ducere, & iratis concurrere cominus urſis.  
 Hinc agilis ſubit ora vigor, robuſtaque magno  
 Pectore vis habitat, fortesque animoſa tuentur  
 Membra tori, & erudo tendunt ſe robore nervi:  
 Hinc facies procera, hinc fronti Martius horror.  
 Quòd ſi bella vocent, quis ad aſpera promptior arma?  
 Aut quis equum ſternacem arctis fregiſſe lupatis  
 Acrior? aut fortem microne haurire cruorem?  
 Aut torquere ſudem? aut nervo exturbare ſagittam?  
 Aut præpilatis aciem perumpere contis?  
 Quis certet duro agricolæ? ſeu ducere vallum,  
 Seu ſit opus celſo præcingier aggere caſtra,  
 Seu fronte adverſâ tormentum figere ahenum,  
 Quod tonitru horriſtico magnas ſternentia turres  
 Ardua fulmineo jaculetur ſaxa rotatu;  
 Seu vigil inſomnem peragat cuſtodia noctem;  
 Seu tacitum rapiatur iter, ſeu parcere parto  
 Conveniat, ſi ſors lentâ obſidione premantur.  
 Scilicet his Babylon dextris Nabathæaque regna  
 Creverunt: hic Mopſopio delectus ab arvo  
 Miles Achæmenium Marathonis in æquore Perſen

Con-

Contudit : his adjuta viris se Romula tellus  
 Impofuit mundo, & rerum tractavit habenas.  
 Nunc age, quæ studia agricolis industria folers  
 Extudit, atque operum quanta experientia, dicam.  
 Protinus extremo cum jam Boreas autumnò  
 Incubuit terris, primo cum frigore tactæ  
 Labuntur frondes, maternaque brachia linqunt,  
 Nec cariem cæfæ formidant robora fylvæ ;  
 Ecce fagax tacitam venientis ruficus anni  
 Curam corde coquit, qua bubus ab arbore plaufrum  
 Dedolet, unde juga & curvum fabricetur aratrum.  
 Nec mora, quin veteris truncata cacumina fagi,  
 Chaoniæque cadant quercus, nudataque ramos  
 Ulmus & audaci laurus fonet icta securi.  
 Quarum quæque novam, fumo explorata calenti,  
 Vertitur in faciem, diverfaque munia tractant.  
 Continuo auditus gruis inter nubila clangor  
 Agricolam citat, & criſtâ ſpectabilis altâ  
 Auroram gallus vocat applaudentibus alis.  
 Excitat ille operum focios, fimul horrida cautus  
 Terga rudi centone fovet capitique galerum  
 Induitur, crudusque operit veſtigia pero :  
 Hinc faturos jungens loris ad aratra juvencos  
 Increpitat ſtimulo, & cantu minvente laborem  
 Prælongis ferrata terit dentalia fulcis,  
 Ac late elicibus collectos exprimit imbres ;  
 Jejunaque fimo tellurem & rudere paſcit.  
 Tum plenum farris lævâ ſervante caniſtrum  
 Semina diſpenſat parcâ Cerealia dextrâ :  
 Quæ ne jacta avidæ populentur grana volucres,  
 Et prædam ſublime ferant, it pone minutus  
 Sarcula parva tenens puer, & frugem obruit arvo.

At cum se Eois jam vespertinus ab undis  
 Extulit Arcturus, cum vericoloribus ardet  
 Terra comis, rutilosque interviret herba colores,  
 Daulias & Getici tandem secura mariti  
 Ales adest, plausuque larem, cantuque salutat;  
 Rursum invadit opus, stivæque innixus, adunco  
 Pone nigrescentes proscindit dente novales;  
 Quas rapidi soles urant, gelidæque pruinae.  
 Mox ubi jam sapiens cœpit frondescere morus,  
 (Ante quidem sapiens, nunc ambitiosa, nec ullum  
 Quæ pariat pomum, sed ferica pensa ministret)  
 Ille aliam atque aliam culturam dulcis agelli  
 Pertentans, truncos plantariaque infodit arvo,  
 Nec pictas lugubre fabas, nec pabula parcit  
 Vervæcto mandare putri; glebasque bicorni  
 Persequitur ferro, & secat insuperabile gramen;  
 Et montem cædit scrobibus, fortique bidente  
 Terga soli frangit; Bacchæaque semina rectum  
 Explicat in quincuncem, & differit ordine longo;  
 Atque iterum, atque iterum terrâ capita ima frequentat,  
 Et ramos tondet falce, atque impune fluentem  
 Compescit vitem fingens, & robore fulcit  
 Deciduum, caræque hærentem in pectore matris  
 Acclinat fobolem fulco, juxtaque propagat;  
 Aut ipso durus genitricis ab ubere flentis  
 Abscissam rapit atque alio traducit alendam.  
 Quid dicam? externis cum se vernacula succis  
 Robora nobilitant, peregrinaque segmine<sup>a</sup> duri-na  
 Accipiunt trunci, aut discreto germina libro:  
 Namque oculis oculos, non blandi tempora veris  
 Jungere, sed mediis gaudet fervoribus æstas,  
 Æstas congestos Cereris tritura maniplos,

Æstas

*Ætas* abscosum filiquâ excussura legumen,  
*Ætas*, qua grandes expectant horrea messes,  
 Dum coacervatas eventilet area fruges.  
 Tum sola pulverei pinguescunt arida campi,  
 Solvunturque putres glebæ, ac peritura lupini  
 Germina parturiunt; tum clivo rauca sonantes  
 Eliciuntur aquæ, præcepque recumbit agro fons.  
 Post ubi jam medio vestigia librat in axe  
 Ensiser Orion, croceoque insignis amictu  
 Adspicit Arcturum pulsâ Pallantias umbrâ,  
 Sentibus horrentes aperit jam vinea sepes,  
 Aureolamque metit lentis de vitibus uvam  
 Vinitor, & foctos rubicundo nectare fructus;  
 Quos conjunx, quos virgo comes par vertice matri,  
 Aut cistâ exportant, aut rasilibus calathiscis.  
 Nec sentitur onus; studio levat ipsa laborem  
 Sedulitas: quin frugiferos curvantia ramos  
 Poma sinu, baccasque ferunt, ficumque, nucemque.  
 Nec nihil addit hiems: nigros tum laurea foetus  
 Exuitur, tum myrta legunt, glandemque caducam,  
 Glaucaque Palladiæ diffringunt brachia sylvæ.  
 Noctæ autem ad lychnos aut junco texit acuto  
 Fiscellam, aut crates virgis, aut vimine quales  
 Rusticus, infinditque faces & robora valli,  
 Dolia quassa novat; ferramentisque repellit  
 Scabritiem, tritaque docet splendescere cote.  
 Nam quid delicias memorem? quamque alta labori  
 Otia succedant? jam primum obsessâ pruinis  
 Cum juga floriferi regelaverit aura Favoni,  
 Suave serenato rident vaga sidera cœlo:  
 Suave ciet tardos per sudum Luna juvencos,  
 Ipsa quoque ætherei melius nitet orbita fratris,

Terque quaterque manu madidantes nectare crines  
 Exprimit, & glebas foecundis roribus implet,  
 Vecta Medusæo Tithonia præpete conjunx.  
 Alma novum tellus vultu nitidissima germen  
 Fundit, & omnigenis ornat sua tempora gemmis,  
 Idalio pudibunda sinus rosa sanguine tingit,  
 Nigraque non uno viola est contenta colore,  
 Albet enim, rubet, & pallorem ducit amantum.  
 Ut sunt orta, cadunt, nive candidiora ligustra.  
 Nec longum durant calathos imitata parentis  
 Lilia, sed longum stant purpurei amaranti.  
 Hic Salaminiaci scribunt sua nomina flores,  
 Hic gratum Cæteri plenumque sopore papaver  
 Oscitat, hic inhiat sibimet Narcissus: at illic  
 Corycios alit aura crocos, notumque theatris  
 Aëra per tenerum flatu dispergit odorem.  
 Nec jam flammeolæ connivent lumina calthæ,  
 Nec melilotos abest: Tyrium seges illa ruborem  
 Induit; hic vivo cespes se jactat in auro;  
 Hæ niveos, hæ cyaneos superare lapillos  
 Contendunt herbæ, vernantque micantia latè.  
 Gramina per tumulos, perque umbriferas convalles,  
 Perque amnis taciti ripas, atque omnia rident;  
 Omnia luxuriant, & amica luce coruscant.  
 Parturiunt stipulæ frugem, & genitalibus auria  
 Pervia turgescunt lactentibus hordea culmis,  
 Palmes agit rupto lacrimantes cortice gemmas:  
 Sequæ rudes primis monstrant in vitibus uvæ.  
 Dulce virent teneræ modo nata cacumina sylvæ,  
 Succrescuntque piæ pullorum examina matri,  
 Ipsa sibi ignotas miratur adultera frondes  
 Arbor, & ascitis nativas inserit umbras.

Auricomæ jubare exorto de nubibus adsunt  
 Horæ, quæ cœli portas atque atria servant :  
 Quas Jove plena Themis, nitido pulcherrima partu  
 Edidit, Ireneque, Diceque, & mixta parenti  
 Eunomie, carpuntque recentes pollice foetus.  
 Quas inter Stygio remeans Proserpina regno  
 Comptior ad matrem properat : comes alma forori  
 It Venus, & Venerem parvi comitantur Amores,  
 Floraque lascivo parat oscula grata marito.  
 In mediis, resoluta comas, nudata papillas  
 Ludit, & alterno terram pede Gratia pulsat.  
 Una choros agitât Nais, decurrit Oreas  
 Monte suo : relinquunt faciles juga celsa Napææ:  
 Nec latitat sub fronde Dryas, non júbila Fauni  
 Fundere, non junctis Satyri dare sibila cannis,  
 Nec querulæ cessant tenerum tinnire volucres.  
 Fluctibus Halcyone, densâ philomela sub umbrâ,  
 Canus olor ripis, tecto vaga plorat hirundo.  
 Lene susurrat apis, plenoque saporibus alveo  
 Candida multiformæ solidat fundamina ceræ :  
 Colludunt per prata greges, atque omne beato  
 Flagrat amore nemus : juvenem lasciva maritum  
 Fert equa, fert tergo salientem bucula taurum,  
 Setigeræque subant matres : decertat amator  
 Fronte aries ; avidos olidum pecus accipit hircos.  
 Spectant innisi baculis, gaudentque magistri.  
 Inde ubi prægnantes partu Lucina recenti  
 Solvit, ut exæquet numero foetura parentes,  
 Ipse rudem nec adhuc vestigia certa prementem  
 Fert subolem gremio, sed ovem gracilemque capellam  
 Enixas humero subit, atque in stramine molli  
 Componit sensim pastor, stabuloque recondit.

Mox



Mox ut convalescere, rubos hæc rupibus altis,  
 Illa recens campo gramen decerpit aprico,  
 Aut dulces gelido delibant amne liquores,  
 Ut sua conclusis ne desint pecula natis,  
 Utque fluat plenis dives mulsura papillis,  
 Subrumi expectant hoedique, agnique petulci;  
 Cornigerasque vocant tremulo clamore parentes;  
 Bruta gregem plenum densis alit uberibus sus  
 Exporrecta solo, & grunntu allectat amico  
 Fellantes, turpique luto se immunda volutat:  
 Radices eadem calloso avidissima rostro  
 Eruit & bulbum, aut madidâ se pulte faginat.  
 Flet vitulum mœsta absentem mugitibus altis  
 Mater, & immensam raucis miseranda querelis  
 Sylvam implet; boat omne nemus, vallesque, lacusque.  
 Illa nigros latè lucos saltusque peragrat  
 Crebra gemens, crebra ad montem, stabulumque revisit  
 Tabescens desiderio; non ulla dolorem  
 Pabula, nec salicum frondes, nec gramina rore  
 Sparsa levant, non quæ viridi vaga flumina ripâ  
 Perspicuam tenui deducunt murmure lympham.  
 Prata tener persultat equus, libatque volucris  
 Æquora summa fugâ, aut alti subit aspera montis  
 In juga, saxosumque amnem pede plaudit inermi;  
 Cui pulchro micat acre caput, luduntque decoræ  
 Fronte comæ, vibrant aures, atque orbe nigranti  
 Prægrandes extant oculi; tum spiritus amplis  
 Naribus it fervens, stat cervix ardua, qualem  
 Præfert Marmaricis metuenda leonibus ales,  
 Ales quæ vigili lucem vocat ore morantem,  
 Crescunt spissa toris, lateque animosa patefcunt  
 Pectora, confurguntque humeri, & jam sessile tergum est:  
 Spinaque

Spinaque depresso gemino subit ordine lumbos;  
 Et castigatum cohibent crassa ilia ventrem:  
 Fundunt se lætæ clunes, subcrispaque densis  
 Cauda riget fetis, & luxuriantia crebræ  
 Velant colla jubæ, ac dextrâ cervicæ vagantur.  
 Tum tereti subfricta genu mollissima flectit  
 Crura ferox, celsum ingrediens, fremituque superbit,  
 Grande sonat tornata cavo brevis ungula cornu,  
 Ingenti referens Corybantia cymbala pulsu.  
 O dulces pastoris opes, ô quanta beatum  
 Quàm tenet hunc tranquilla quies! ut pectore toto  
 Lætitiâ, totâque fovet bona gaudia mente!  
 Nempe odii, fraudumque expers, exemptus inani  
 Ambitione, vacansque metu, spe liber, & infons,  
 Nativo cultu, & gazâ prædives agresti,  
 Ipse sibi vivit nullo sub teste, suoque  
 Pendet ab arbitrio, suus ipse est censor, & alto  
 Calcat opes animo, ac regum deridet honores.  
 Si non Tænareis illi stant sulca columnis  
 Robora, cælatumque altè laquearia subter  
 Ridet ebur, postemve filex asaroticus ornat,  
 Nec Maurusiacos pulchræ testudinis orbes  
 Delphica sustentat, nec docto trita Myroni  
 Pocula multiplici florent radiantia gemmâ,  
 Aut bis in Herculeâ Milesia vellera conchâ  
 Versantur, tenuique satur lanugine bombyx  
 Luteolos folles pretiosaque fila relinquit,  
 Textile nec tenero subtegmine fulgurat aurum,  
 Spirantes referens vultus, quæ Pergamos olim  
 Artificij descripsit acu, quæ stamina Memphis,  
 Quæ Tyros, & Babylon radio pinxere sonanti;  
 At jacet in molli projectus cespite membra,

Quâ

# 140 ANGELI POLITIANI

Quà cavus exesum pumex testudinat antrum,  
 Quave susurranti crinem dat aquatica vento  
 Arbor; & aut calamos, aut fixa hastilia jungit  
 Cortice, statque levi casa frondea nixa tigillo,  
 Quam metuant intrare pavor curæque sequaces,  
 Sub qua jucundos tranquillo pectore sensus  
 Nutrit, inabruptoque fovet sua corpora somno,  
 Sylvarum & pecoris dominus, stant sedula circum  
 Turba canes, audaxque Lacon, acerque Molossus:  
 Dant ignem extritum filices, dant flumina nectar  
 Hauſta manu, dat ager Cererem; <sup>non</sup> nam caseus, aut lac,  
 Lucorumve dapes absunt: stat rupibus ilex  
 Mella serens trunco, plenoque cacumine glandem.  
 Illi sunt animo rupes, frondosaque tesqua,  
 Et specus, & gelidi fontes, & roscida Tempe,  
 Vallesque, Zephyrique, & carmina densa volucrum,  
 Et Nymphæ, & Fauni, & capripedes Satyrisci,  
 Panque rubens, & fronte cupressiferâ Sylvanus,  
 Silenique senes, subdivalesque Ithyphalli,  
 Et montana Pales, & quo pastore Pheræi  
 Gaudebant campi, & crinem resoluta Mimallo,  
 Et qui cornigerâ bicolores fronte corymbos,  
 Pampineamque manu tenerâ quatit Evius hastam.  
 Semper amor, semper cantus & fistula cordi est,  
 Semper odorati Venerisque stipendia flores,  
 Vitarumque altrix urbi malè nota voluptas.  
 Talibus in studiis pastor molle exigit ævum.  
 Post ubi raucisonæ pinnâ vibrante cicadæ  
 Increpuere, ardensque metentibus ingruit æstus,  
 Paulisper tum cessat opus, saxique sub umbrâ  
 Prostrati indulgent genio: non mollia pleno  
 Desunt vina cado, non lacti mixta polenta,

Aut

Aut pinguis tergum vitulæ, placidusque sonoræ  
 Lapsus aquæ, crinemque auræ, frontemque lacessunt.  
 Inde opus integrant, donec sub nocte coruscant  
 Flammigero parvæ stellantes clune volucres.  
 Ecce autem dulces labris pater ingerit uvas  
 Autumnus, crebræque elifus verbere plantæ  
 It per præla latex, puerique examine denso  
 Exultant lasciva cohors, circumque, supraque.  
 Ille manu pandâ pronus bibit, alter ab ipso  
 Sugit musta lacu crepitantibus hauſta labellis.  
 Hic sua suspensum resupinus in ora racemum  
 Exprimit, hic focii patulos irrorat hiatus,  
 Irriguumque mero sordet mentumque sinusque;  
 Ebriaque incertis titubant vestigia plantis.  
 Postquam acris successit hyems, & pendula tectis  
 Dirigit glacies, largâ strue tollitur altè  
 Collucetque focus: coëunt vicinia simplex  
 Unâ omnes, juvenesque probi, materque severa  
 Conjuge cum duro, & pueris, & virgine grandi,  
 Convigilantque hilares, & primæ tempora noctis  
 Decerpunt, molli curas abigente Lyæo;  
 Mutuaque inter se ludunt: tum tibia folle  
 Lascivum sonat inflato, tum carmina cantant,  
 Carmina certatim cantant: tum tenta recusso  
 Tympana supplodunt baculo, & cava cymbala pulſant,  
 Et læti saltant; & tundunt æribus æra,  
 Et grave conspirat cornu tuba flexilis unco,  
 Conclamantque altum unanimes, tolluntque cachinnos.  
 Porro autem, quanta est differtæ copia villæ,  
 Quamque penu dives! neque enim vel frugibus hornis  
 Horrea sufficiunt, vel odoro dolia musto;  
 Testaque Palladiis jam non vacat ulla trapetis.

Terga

## 146 ANGLI POLITIANI

Terga suis pendent fumoso fordida tigno,  
Pertica pensilibus oneratur longa racemis,  
Non uvæ arentes, non pruna, & carica defunt ;  
Sorbaque cum cerasis, duroque putamine clausa  
Perfica nux, regumque altas imitata coronas  
Mespila, cumque pyris miserorum munus amantum  
Jam laxum in rugas malum, decoctaque ahenis  
Defruta, & omphacinus liquor, & lacrimosa sinapis,  
Et meditata novos Sicyonia bacca sapes :  
Tum sapa, melque recens, edulcatique lupini,  
Et prunæ increpitans balanus, contextaque cannis  
Fiscina lacte madens, & durati sale fungi.  
Annonam facilem vicinus suggerit hortus ;  
Murmur apricantes niveâ dant turre columbi,  
Expandunt alas, & amicam blanda rogantes  
Oscula, circumeunt insertantque oribus ora :  
Jam vicibus nido incubitant genitrixque paterque,  
Jamque ova excludunt, natisque implumibus escant  
Commansam alternant, rostellaque hiantia complent.  
Adde gregem cortis, cristatarumque volucrum  
Induperatores, laterum qui sidera pulsu  
Explaudunt vigilique citant Titana canore ;  
Et regnum sibi Marte parant : quippe obvia rostris  
Rostra ferunt, crebrisque acuunt assultibus iras,  
Igneſcunt animis, & calcem calce repulsant  
Inſeſto, adverſumque affigunt pectore pectus.  
Victor ovans cantu palmam teſtatur, & hoſti  
Inſultans victo, pavidum pede calcatur iniquo.  
Ille ſilet, latebrasque petit, dominumque ſuperbum  
Ferre gemit : comes it merito plebs cætera regi ;  
Formoſo regi, cui vertice purpurat alto  
Faſtigatus apex, dulcique errore coruſcæ

Splen-

Splendescunt cervice jubæ, perque aurea colla,  
 Perque humeros it pulcher honos, palea ampla decenter  
 Albicat ex rutilo, atque torosa in pectora pendet  
 Barbaricum in morem : stat aduncâ cuspide rostrum,  
 Exiguum spatii rostrum, flagrantque tremendum  
 Ravi oculi, niveasque caput late explicat aures.  
 Crura pilis hirsuta rigent, juncturaque nodo  
 Vix distante sedet ; durus vestigia mucro  
 Armat : in immensum pinnæque hirtique lacerti  
 Protenti excurrunt, duplifique horrentia vallo  
 Falcatæ ad cælum tolluntur acumina caudæ.  
 Ipse falax totam fœcundo femine gentem  
 Implet, & oblongo nunc terram scalpturit ungui,  
 Rimaturque cibos ; nunc edita nubila visu  
 Explorat cauto : non illum squamea tuto  
 Aggreditur serpens, non raptor ab æthere milvus.  
 Vocibus interea crebrum singultat acutis  
 Parturiens conjunx ; quæ scilicet ova subinde  
 Tollit anus, signatque dies, vigilemque lucernam  
 Consulit, & Lunæ crescentis tempora servans,  
 Ut primum gallina glocit, numero impare subdit :  
 Versatisque diu, solers auscultat an intus  
 Pipiat involucer pullus, tenerumque putamen  
 Pertuderit molli rostro, atque erumpere tentet.  
 Parte aliâ bifero plumosam corpore messem  
 Nutrit, & in crassâ satur urinare lacunâ  
 Anser avet, stagnumque super pede remigat udo  
 Depictæ cervicis anas, prolemque natatum  
 Invitans, nunc extat aquis, nunc mergitur altè.  
 Erigit explicitæ gemmata volumina caudæ  
 Ambitiosus amans : at sicu & polline gliscit  
 Pellaci cantu deceptus ab aucupe turdus.

Infidit

Infidit mutuo turtur, seseque sagittans  
 Rauca gemit, dulcesque miser suspirat amores:  
 Flet viduus perdix, queritur peregrina coturnix,  
 Inclusa caveis: hic caeca cuniculus antra  
 Excavat, hic septo praeagnans lepus errat in amplexu,  
 Capreolique hinculique, & adunco dentibus apris.  
 Hic stertunt glires, hic femina foetat echinus.  
 Dædala somniferos peragunt examina bombes,  
 Plenaque captivos servant vivaria pisces.  
 Scilicet his opibus placide sua corpora curant,  
 Dulciaque inter se læti tellure magistrâ  
 Officia exercent; ut quæ neque ferre recuset  
 Imperium, neque non grandi mercede rependat,  
 Si qua laborifero debentur farræ colono.  
 Ille autem & volucris petit ardua sidera mente,  
 Scrutaturque sagax, quæ sit sententia Divûm;  
 Quid quæque emergens, latitanseve, orientseve, cadentseve  
 Stella pareat; quid quadruplici celer afferat annus  
 Cardine, quæ fulcis, quæ sint statura tempora messi;  
 Quidque pecus vehat Olenium, qua grandine colles  
 Trux nepa dilapidet, quo turbine surgat Orion,  
 Quos glomerent imbres aut pressus Arione delphin,  
 Pleias & Arcturusque senex, Hyadesque puellæ:  
 Unde bibant herbæ divini pocula lactis:  
 Cur rubigo fatis, uredoque vitibus obsit:  
 Quid nebulas abigat, tempestatosque repellat:  
 Quod vento ingenium, quæ nubes causa serenet:  
 Quidque filens moneat, quidque intermenstrua Phœbe,  
 Vel cum plena meat, vel cum decrescere rursus  
 Incipit: ille etiam numeros legesque dierum  
 Providus observat: scit enim quid septima portet,  
 In qua nascentem excepit bona Delia fratrem.

Scit quoque post decimam quid prima, quid altera luces  
 Injungant operum: quocirca aut vellera lanæ  
 Demetit, aut gravido maturas mergit aristas,  
 Aut telam locat uxoris; nam pendula in ortu  
 Posteriore suos etiam net aranea casset;  
 Quæ sequitur bona virgultis, inimica serendis  
 Frugibus: ergo cavet quod obest, quodque expedit urget:  
 Novit enim quota connubiis, quota partibus obftet,  
 Aspiretve dies, quota pinguem emasculat hoedum,  
 Septaque circumdet pecori, quota jungat amantes  
 Et clandestinos jubeat miscere furros:  
 Qua ponat canis hirritum, malesuadaque pectus  
 Cura nimis laceret, qua tristis oberret Erinny  
 Nocte magis, secat ille suo sibi tempore lignum,  
 Dolia degustat, subigit juga ferre juvenum.  
 De flabris quoque, de pluviam dulcique sereno,  
 Aut Lunæ occasus, aut idem consulit ortus.  
 Tractat opus, si pura micet; sin atra recedat,  
 Aut quinto directâ die, aut medio orbe retusa,  
 Nec gracili cornu, aut triplici sit culta coronâ,  
 Tecta subit, metuens hiemes: si rubra coruscet,  
 Tum verò expectat ventos: nec fallit eundem  
 Quo Boream cornu, quo Cynthia provocet Austrum;  
 Consulit & Phœbi flammâs an grandinis augur  
 Palleat, an radiis monstret discordibus imbrem;  
 An præ se exoriens nubes agat, an niger orbem  
 Circulus extremum claudens, quâ rumpitur, acres  
 Carceris Æolii moneat consurgere flatus.  
 Adnotat & coeli faciem, num stella sereno  
 Æthere lapsa cadat, rapidi prænuntia Cauri;  
 Conscia num subitâ semet caligine obumbrent  
 Astra, trahantque hiemem; gemino Thaumantias arcu  
 VOL. II. L Quid



Quid fectat, aut curto cum vix fecat aëra gyro,  
 Et pæne unicolor taurinâ fronte mixatur.  
 Nunc præsepe oculis, nunc Bacchi spectat afellos;  
 Quique Noton cernit, quique est obversus ad Arcton,  
 Fulgores, tonitrus, insperaque vellera coelo,  
 Brumalemque diem, & totum semel adspicit annum.  
 Necnon & nautis ruiturum in carbasa nimbum  
 Augurat, undisonum si fors mare surrigit Ægôn,  
 Canaque conspergit sale faxa & littora frangit.  
 Tunc & tristifico reboant montana fragore,  
 Et repetunt siccum mergi, atque ex æquore clamant.  
 Ipsa volans sublimé auras æthramque laceffit  
 Ardea, collidunt fulicæ, plauduntque gregatæ.  
 At lasciva lacus alis perfringit hirundô,  
 Et summas prope radit aquas, ranæque coaxant.  
 Fusca gradu cornix lento metitur arenas,  
 Aut fluvium capite, & madidâ cervice receptat,  
 Crocituque gravi pluviam increpat usque morantem.  
 Clangunt Naupliadæ voluerès & pervia pinnis  
 Nubila conscribunt: incertus in æquore delphin.  
 Difflat aquas: latrant corvi, vocemque resorbent.  
 Progerit ova cavis patiens formica laborum.  
 Blanda canis terram pedibus scabit: ore lapillos  
 Tardigradus prendit cancer, seseque saburra,  
 Atque hæret ripæ: densum occinit improbus mus,  
 Straminaque exculcat: quin centipodes scolopendræ  
 Parietibus reptant: aures pigra motat asella.  
 Dependunt bullæ lychno, sitiensque cruoris  
 Musca redit, summosque proboscide mordicat artus.  
 Nec longe à tectis apis ingeniosa recedit.  
 Prunaque concretusque ima cinis hæret in ollâ,  
 Carboque pellucet: neque non prænuntiat Euros

Pluma

Pluma natans, foliumve errans, pappique volantes;  
 Flammaque cum flectit, cum sese elidit, & ipsis  
 Vix sedet in strepis, scintillamque excutit udam.  
 Vos quoque pastores ventos horretis, & imbres,  
 Cum temere excursans pecus ampla in pascua fertur,  
 Cumque alacres ludunt agni, calcesque protervos  
 Subfultim incutiunt inter se, & cornibus hærent;  
 Aut cum se è pastu vi vix, ægreque revellunt;  
 Cumque boves liquidi suspectant lumina cœli,  
 Olfactantque auras, & succos naribus udos  
 Crebra trahunt, dextrumque latus consternere gaudent,  
 Aut lingunt adversa pilos, aut vespere fero  
 Mugitu ingenti redeunt, caulasque fatigant:  
 Cum sibi non factos sus dissipat ore maniplos,  
 Cumque antro lupo exululat, cumque improbus idem  
 Nec metuens hominum propius consistit, & offert  
 Se mendicanti similem, ac loca culta pererrat.  
 Ergo in consilium maria advocat, æthera, terras,  
 Naturamque omnem; vivitque auctoribus astris  
 Cura Deum agricola atque animo præscita recenset,  
 Et rerum eventus sensu præfagit acuto.  
 Hanc ô coelicolæ magni concedite vitam.  
 Sic mihi delicias, sic blandimenta laborum,  
 Sic faciles date semper opes; hac improba funto  
 Vota tenus, nunquam certe, nunquam illa precabor,  
 Splendeat ut rutilo frons invidiosa galero,  
 Tergeminâque gravis surgat mihi mitra coronâ.  
 Talia Fesuleo lentus meditabar in antro,  
 Rure suburbano Medicum, quâ mons facer urbem  
 Mæoniam longique volumina despicit Arni;  
 Quâ bonus hospitium felix placidamque quietem  
 Indulget Laurens, Laurens haud ultima Phœbi

Gloria, jactatis Laurens fida anchora Musis:  
 Qui si certa magis permiserit otia nobis,  
 Afflabor majore Deo, nec jam ardua tantum  
 Sylva meas voces montanaque saxa loquentur;  
 Sed tu (si qua fides) tu nostrum forsitan olim  
 O mea blanda altrix non aspernabere carmen,  
 Quamvis magnorum genitrix Florentia vatum,  
 Doctaque me triplici recinet facundia linguâ.

## PRÆFATIO IN SEQUENTEM SYLVAM.

**S**Tabat adhuc rudibus Pagasæo in littore remis  
 Quæ ratis undosum prima cucurrit iter:  
 Dum tamen extremis hærent succincta ceruchis  
 Linthea, dum nautas flamina nulla vocant,  
 Conveniunt Minyæ gemini Chironis ad antrum,  
 Qua fugit obliquo garrula lympha pede,  
 Quaque ingens platanus genialibus excubat umbris:  
 Explicat hic faciles rustica mensa dapes;  
 Crescit fronde torus, vernant in flore capilli,  
 Sed viret Herculeis populus alba comis.  
 Dat puer Æacides niveâ carchesia dextrâ;  
 Sed suus Alcidæ pocula miscet Hylas.  
 Finis erat dapibus; citharam prius excitat Orpheus,  
 Et movet ad doctas verba canora manus.  
 Conticuere viri, tenere silentia venti,  
 Vosque retro cursum mox tenuistis aquæ.  
 Jam volucres fessis pendere sub æthera pinnis  
 Jamque truces videas ora tenere feras.  
 Decurrunt scopulis auritæ ad carmina quercus,  
 Nudaque Peliacus culmina motat apex.

Et

Et jam materno permulserat omnia cantu,  
 Cum tacuit, querulam deposuitque fidem.  
 Occupat hanc audax, digitosque affringit Achilles,  
 Indoctumque rudi personat ore puer.  
 Materiam quæris? laudabat carmina blandi  
 Hospitis, & tantæ murmura magna lyræ.  
 Riserunt Minyæ; sed enim tibi dicitur, Orpheu,  
 Nec pueri pietas grata fuisse nimis.  
 Me quoque nunc magni nomen celebrare Maronis  
 (Si qua fides vero est) gaudet & ipse Maro.

## MANTO.

*In Bucolicôn Virgîlii enarratione pronuntiata.*

**E**ST Dea quæ vacuo sublimis in aëre pendens  
 It nimbo succincta latus, sed candida palmam,  
 Sed radiata comam, ac stridentibus insonat alis.  
 Hæc spes immodicas premit, hæc infesta superbis  
 Imminet; huic celsas hominum contundere mentes,  
 Successusque datum, & nimios turbare paratus:  
 Quam veteres Nemefin, genitam de Nocte silenti  
 Oceano dixere patri: stant sidera fronti,  
 Fræna manu pateramque gerit, semperque verendum  
 Ridet, & insanis obstat contraria cœptis;  
 Improba vota domans, ac summis ima revolvens  
 Miscet, & alternâ nostros vice temperat actus,  
 Atque huc atque illuc ventorum turbine fertur.  
 Viderat hæc domitis tumidam te, Græcia, Persis  
 Signa quoque Eoum victricia ferre sub orbem:  
 Viderat & cantu Aonio eloquiisque superbam  
 Ire altum, magnumque loqui, cœloque supinum

Infertare caput, nec Dis te ferre minorem.  
 Mox fastus exosa graves, cervice coëgit  
 Ferre jugum, & Latiis superatam subdidit armis.  
 Nec fandi permisit honos: tu namque potenti  
 Protinus ore tonans, ardentis fulmine linguæ  
 Cuncta quatis Cicero: Pylæ non mella senectæ,  
 Nec jam Dulichias audet conferre procellas,  
 Sponte tibi virides transcribens Græcia palmas.  
 Se tamen Aoniæ folatur fronde coronæ.  
 Deerat adhuc Latio vatum decus, horrida quanquam  
 Bella tubasque rudi cantaverat Ennius arte.  
 Editus ecce Maro, quæ non felicior alter,  
 Seu sylvas, seu rura canit, sive arma virumque:  
 Namque Syracosis cum vix assurgat avenis,  
 Hesiodum premit, & magno contendit Homero.  
 Ergo age quis centum mihi nunc in carmina linguas,  
 Immensumque loqui, vocemque effundere ahenam,  
 Quis mihi det Siculas Latio clangore forores  
 Post Geticam superare chelyn? dum te, optime vatum,  
 Imbellis pietas audaci promere cantu  
 Audet, Atlanteasque humeris fulcire columnas.  
 Unde ego tantarum repetam primordia laudum?  
 Aut qua sine sequar? facit ingens copia rerum  
 Incertum: sic frondiferâ lignator in Idâ  
 Stat dubius, vastæ quæ primum robora sylvæ  
 Vulneret; hic patulam procero stipite fagum,  
 Hic videt annosam sua pandere brachia quercum;  
 Illic succinctas caput exertare cupressos;  
 Metiturque oculis Phrygiæ nemora alta parentis.  
 Te nascente, Maro, Parnassi è culmine summo  
 Affuit Aonias inter festina sorores  
 Calliope, blandisque exceptum sustulit ulnis,

Permul-

Permulsitque manu quatiens, terque oscula junxit.  
 Omina ter cecinit, ter lauro tempora cinxit.  
 Mox aliæ dant quæque tuis munuscula cunis:  
 Certatim dant plectra, lyram, pellemque pedumque,  
 Dant & multiformam modulanda ad carmina loton,  
 Et decrescenti compactas ordine avenas.  
 Dant Pandionias volucres: ter murmure placant  
 Liventes oculos, ter frontem baccare tangunt.  
 Venit & Elyfio venturi præscia Manto,  
 Manto quæ juvenem fluvio conceperat Ocnum,  
 Ocnum qui matris dederat tibi Mantua nomen:  
 Venit & horrentes quatiens vittamque comasque,  
 Sanguineamque rotans aciem, sic ora resolvit  
 Plena Deo, & veras excuffit pectore voces:  
 Dicebam memini, memini, tibi Mantua quondam,  
 Surge bonis avibus fundata, & fulmine lævo;  
 Surge, paremque astris contende educere molem,  
 Pyramidum supra sumptus: proh quanta manet te  
 Gloria, quam longum senibus celebrabere sæclis!  
 Nascetur, video, superâ tibi missus ab arce  
 Sidereus vates, alti cui numinis haustum  
 Mens cœlo cognata ferat, quem grande sonantem  
 Ne Linus Inachides tantum, atque Oeagrius Orpheus,  
 Aut mea qui Tyrio construxit mœnia plectro,  
 Sed vos ô Musæ, sed tu mireris Apollo.  
 Et nunc ecce puer tranquillæ ad lumina lucis  
 Ille diu promissus adest, vitamque salutans  
 Has teneris jam nunc mulcet vagitibus auras.  
 Euge beate puer, sanguis meus, horreat ortus  
 Græcia tota tuos, laurumque habitura secundam,  
 Ascra, Arethusa, suis metuant, & Smyrna coronis.  
 Incipe adhuc gracili connectere carmina filo:

Incipe magnæ puer, nec vota intexere Divis  
 Impia, nec Culici genitum præstare merenti,  
 Nec te Lampfacium pudeat lufille Ithyphallum,  
 Blandaque lascivis epigrammata pingere chartis  
 Acmonidas refer, & Bronten, Volcaniaque antro,  
 Ignivomosque apices montis, raucoque tremente  
 Murmure Trinacriam, quoties per nubila flamma  
 Eructat, tentatque latus versare Typhoeus.  
 Dic Scyllam subitis miseram quæ se induit alis,  
 Scyllam quæ nimio flagrans Minois amore  
 Ah potuit rigido genitorem invadere ferro  
 Crudelis; potuit cano spoliare capillo  
 Crudelis: sed quis duro contendat amori?  
 Crudelis, sed culpa tua est, tua culpa Cupido.  
 Atque hæc prima novi fuerint elementa poetæ:  
 Hæc fuerint timidæ præludia prima juventæ.  
 Jam vatem, jam Roma vocas, jam sæva recessit  
 Paupertas, præstatque piis grata otia Musis  
 Tuscus eques; nosco hunc, atavis qui regibus ortus,  
 Discinctum juvenem cerno, & te, maxime princeps,  
 Purpureos inter proceres, sanctumque Senatum,  
 Pendentem stare ad numeros atque ora tenentem.  
 Tu tamen ô miseræ nimium vicina Cremonæ,  
 Quid fles amissum, quid fles mea Mantua campum,  
 Pascens nivos herbofo flumine cycnos?  
 Nonne vides, ingrata, tuis quæ præmia damnis  
 Accumulent Superi, & solatia quanta rependant?  
 Ipsa en Roma tuo sese quoque jactat alumno:  
 Jamque Phalanthei resonant pineta Galefi  
 Tityre, te vacuo meditantem murmur in antro  
 Jamque tuam dociles recinunt Amaryllida sylvæ:  
 Nigraque dum raucam tremulis evibrat ab alis

Carmen

Carmen & epoto canit ebria rore cicada,  
 Montibus ah folis formosum jactat Alexin  
 Vocalis Corydon, & Alexin reddit imago,  
 Ecce autem imparibus dum fibila flectit arenis  
 Impubis pastor, faciles dum ludit amores,  
 Aureolo petit hunc malo, lascivaque currit  
 Ad falices Nymphe furtivo prodita risu,  
 Sed majora vocant: nunc, ô nunc omnis abesto.  
 Impius, & casti linguisque animisque favento.  
 Stelligero Deus ille, Deus se fundit ab axe,  
 Æterni mens certa patris, quique omnia nutu  
 Torquet, Idumææ se virginis inserit alvo  
 Aurea sparsurus redivivo sæcula mundo.  
 Tu tamen ante alios felix mea vera propago,  
 Cui licitum in sylvis inter coryleta jacenti  
 Rimari quid fata parent, quid pulchra minentur  
 Sidera, quique mihi divini pectoris hæres,  
 Enthea Cumæis incingas tempora vittis.  
 Verum age jam gelidosque tegant umbracula fontes,  
 Et foliis cumuletur humus, densique manipulis  
 Inspirent flores, vacuoque incisa sepulchro  
 Candida formosum testetur littera Daphnin,  
 Daphnin ad astra vocet tenero cava fistula cantu.  
 Ebrius interea nostri nutritor Iacchi  
 Silenus molli dormit resupinus in antro,  
 Ebrius & nimio venas tumefactus alumno.  
**Securum pueri audaces atque improba Nais**  
**Invadunt furtim, deque ipsis vincla coronis,**  
**Quæ senis è mutilo modo vertice defluxerunt,**  
**Injiciunt alacres, promissaque carmina poscunt,**  
**Carmina cum sylvis totos mulcentia montes.**  
**Jamque tuis Minci glaucâ sub arundine ripis**

Vincitur



Vincitur alterno Corydonis carmine Thyrsis.  
 Jam repetit querulam Damonis tibia Musam:  
 Damonis Musam scopuli pinusque loquuntur.  
 Sed quid io tam dulce tibi est Galatea sub undis,  
 Quam formosa vocet nequicquam ad littora Cyclops?  
 Infelix Cyclops, sed enim infelicior illo  
 Gallus amat, queriturque suam procul esse Lycorin;  
 Gallus, quem rigidæ flere in montibus orni,  
 Cujus amorem omnes nequeunt mutare labores;  
 Gallus, quem frustra verbis solatus Apollo est.  
 Hæc fat erit sumas inter cecinisse capellas  
 Pastorem, tu victricem fer Mantua palmam;  
 Ecce lacertosi quærent nova turba coloni  
 Quo segetes veniant campo, quo fidere tellus  
 Vertatur, quod sit falcis, quod tempus aratri.  
 Egredere ô sylvis juvenis, curruque levatus  
 Triptolemi Latios foecunda messibus agros,  
 Nec cœlebs jam palmes agat, sed reptet ad ulmum  
 Ebrius, at dulci rubeat nova nupta marito;  
 Et pater autumnus medio confurgat ab auro  
 Pomiferum viridi caput altè umbratus amictu;  
 Atque Acheloë tuum teneat grave dextera cornu,  
 Stetque catenatas suadens nudare palæstras.  
 Palladis ampla arbor bicoloribus horrida baccis,  
 Frondibus & versus longum discriminet annum,  
 Jam lætos inter saltus, frondosaque tesqua.  
 Hinc vitulus primo cui frons protuberet ævo  
 Mugitu tenero matrem vocet, inde per herbas  
 Candida lascivo discurrat bucula saltu.  
 At quibus assurgunt pleno jam cornua gyro,  
 Inter se adverso decertent pectore amantes,  
 Dum rudis exultim florentis in æquore campi

Ludit

Ludit equus, volucresque fugâ prævertere ventos,  
 Aut tranare amnes, aut cursu evincere montem  
 Gestit, Olympiadæ rapturus dona coronæ:  
 Lanigerumque pecus primo propellat Eoo  
 De stabulis pastor, dum pratis roscida lucent  
 Gramina, dum teretes per flexa cacumina guttæ  
 Colludunt: ipsæ hærentes vix rupibus altis  
 Aspera Cinyphiæ carpant dumeta capellæ.  
 Tum glomerata cavo fundant se examina faxo,  
 Halantemque rosam & tenerorum germina florum  
 Taurigenæ populentur apes, plenoque recurrant  
 Poplite: jam lentum teneat fundamina gluten;  
 Jam portas, arcemque & propugnacula condant,  
 Ceraque nectareas ducat sexangula cellas:  
 Aut natos, aut mella legant, fucosque repellant  
 Turpe pecus, jamque accinctæ civilibus armis  
 Expediantque manus rostris, & spicula vibrent,  
 Nocturnoque fonent mussantia castra susurro.  
 At tu quæ tellus æstuque geluque laboras,  
 Cui facer hybernos Helicon intercipit ortus,  
 Ne cessa acceptam nostræ submittere laurum,  
 Nec jam supremi certent de sanguine vatis [Athensæ.  
 Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamis, Chios, Argos,  
 Quippe Bianoream manet hæc victoria gentem:  
 Namque meus timido qui rura & pascua versu  
 Hactenus excoluit, stimulis tandem acribus actus,  
 Dediscetque metum, validasque in pectora vires  
 Contrahet, attonitoque canet fera pectine bella:  
 Qualis adhuc brevibus quæ vix bene fidere pinnis  
 Cœpit avis, matrem primò nidosque loquaces  
 Circumit, & crebrum patulâ super arbore fidit:  
 Colligit inde animos sensim, & vicina volatu

Stagna

Stagna legit, terrasque capit, captasque relinquit,  
 Lascivique fugâ: tandem & sublimia tranans  
 Nubila, & iratis audens se credere ventis,  
 In spatia excurrit justisque eremigat alis.  
 Ac primum Siculis magnum producet ab oris  
 Laomedontiâden, undisque & turbine sævo  
 Auferet in Libyen, quem Dido ignara futuri  
 (Sic placitum Superis) animoque domoque receptet.  
 Reginæque hospes diri commenta Sinonis,  
 Mendaces Graios, vanæ perjurâ gentis,  
 Et populata malis Neptunia Pergama flammis,  
 Se quoque jactatum referet terraque marique.  
 Illa avidis bibet ignem oculis, noctemque diemque  
 Nutriet infelix vesanum pectore amorem.  
 Venatu tandem in medio Saturnia nimbum  
 Pronuba diffundet, soloque Hymenæus in antro  
 Affuerit; nullasque faces mœstum afferet omen,  
 Fulgoresque dabit nymphis ululantibus æther.  
 Ipse Jovis monitu Æneas rursus ire per undas  
 Cogetur vento, rursus Itala quærere regna,  
 Surgentem Ausoniæ folio impositurus Iulum.  
 At Phœnissa rogam sævo furiata dolore  
 Incendet moritura; trucesque in vota vocabit  
 Eumenidas; mox & Phrygium, proh tristia dona,  
 Ah niveum per pectus aget miserabilis ense!  
 Discolor interea taurino combibet ore  
 Iris aquas, iterumque antris effundet apertis  
 Hippotades hiemem, & rapidis ruet æquora ventis;  
 Zancleas iterum fessi ejicientur ad oras  
 Troës, & hospitio fidi accipientur Acestæ.  
 Hic patris ad tumulum solennes ordine pompas  
 Dux feret, ac meritos celebrabit littore ludos.

Tum

Tum pelagus relegens amisso præside puppis  
 Vix tandem Euboicâ lacrimans potietur arenâ.  
 Atque ubi fata Deûm vivacis ab ore Sibyllæ  
 Hauferit, infernas etiam descendet ad umbras,  
 (O pietas!) manesque petet per Averno paternos,  
 Romanosque suos Lethæi ad fluminis undam  
 Conferet, & magnos gaudens cognoscet Iulos,  
 Paciferumque ducem, fulvo cui pulchra metallo  
 Sæcla fluent, cui pressa gravi pede bella jacebunt.  
 His lætus portâ ad socios evadet eburnâ  
 Dux Anchisiades, Tuscumque evadet ad amnem.  
 Necdum parta quies, restant bella aspera, restant,  
 Et crassus multo stagnabit funere Tybris.  
 At tibi Castaliis renoventur pectora lymphis  
 Care nepos; nunc, nunc ingenti est ore sonandum  
 Grande opus à tergo; quis enim alto evincere cantu  
 Clamoresque virûm atque hinnitus speret equorum?  
 Tu tamen evinces, licitum tibi maxime vatam  
 Arma, acies, furias, Martem ipsum æquare canendo.  
 Jamque volans superas Alecto impunè per auras  
 Tartareum canit, & refides stridentibus hydris  
 Instimulat; dux ipsa manu Saturnia sæva  
 Claustra quatit belli, postesque irata refringit.  
 Jam Latiae coiere manus, domat aspera duris  
 Ora lupis sonipes, facilesque in pulvere gyros  
 Flectit eques; ipsæ Alpino de vertice sylvæ  
 Præcipitant, avidæ Phrygios haurire cruores.  
 Jam rastro pondus rigidum diffingit in ensen  
 Cædis amor, versique abeunt in pila ligones,  
 Attritusque cavâ mutatur casside vomis.  
 Jamque aurem horrifono rumpunt fera classica bombo,  
 Armorumque minax perstringit lumina fulgor.

Dumque alacres secum in Martem Cythereius heros  
 Arcadas, & missum auspicio Pallanta sinistro  
 Audacem puerum, melioraque fata sequutos  
 Tyrrenos rapit, & tantis accingitur ausis;  
 Ecce furens Rutulus, sævoque instinctus amore  
 Nequicquam in Phrygiam jaculatus lampada classica  
 Miratur subitas pelago consurgere Nymphas.  
 Nec minus irrupit castris, altamque cruentus  
 Dat stragem, fluvioque evadit lætus amico.  
 Ultor adest, sociosque exponens littore tuto,  
 Auspicium belli, maternis fulgurat armis  
 Dardanides, totasque in pugnam exfuscitat iras.  
 O qui sudor equis, qui se alto in pulvere reges  
 Turpabunt, quanto exurget rubra sanguine tellus!  
 Nec tuus hasta Deus, nec te tua dextera forti  
 Mezenti leto eripiet, visque effera mentis;  
 Sed consors nato accedes tumulique necisque.  
 At tu quo nimio spoliolum & laudis amore  
 Inconsulta ruis? quin sævas bellica Virgo  
 Insidias prius, & venientem respicis hastam?  
 Tuque miser pone ô rapti mala gaudia balthei,  
 Et cæsi exuvias pueri, invidiamque Deorum,  
 Turne, cave: dabis heu pœnas, dabis improbe, & istam  
 Evandro debes animam, atque ultricibus umbris:  
 Sic tandem Iliacas properans pensare ruinas  
 Ad Teucros fessis revolat Victoria pinnis.  
 Grande tamen vobis lethi solamen honesti,  
 Magnanimi heroës nati felicibus astris,  
 Afferet Aonius juvenis, cui dia canenti  
 Facta virùm totis pariter præconia linguis  
 Solvet fama loquax, cui dulci semper ab ore  
 Roscida mella fluent, cujusque Acheloïa Siren

Gestiet

Gestiet innotuo divina poemata cantu  
 Flectere, cui blandis infidet Suada labellis,  
 Cui decus omne <sup>ita</sup> situm cedit stupefacta vetustas, *JUNON*  
 Ipsa illi, quem vix ducibus largiris, honorem  
 Sponte ferēs, totoque affurges Roma theatro.  
 Hæc ubi veridico fudit de pectore Manto,  
 Composuit vultum, teneroque arrisit alumno,  
 Osculaque ore legens sacrum inspiravit amorem,  
 Afflavitque animam, tenuesque recessit in auras.  
 Plauserunt hilares ad tanta oracula Musæ:  
 Plauserunt Nymphæ, quique alto è vertice montis  
 Affuerat, capripes concussit cornua Faunus:  
 Et triplices carmen scripsere adamante sorores.  
 Vos age nunc alacres certatim Etrusca juvenus:  
 Aoniis operata sacris accurrite mecum,  
 Dædala perpetui visum monumenta poetæ;  
 Qualia nec castæ peplis intexta Minervæ  
 Solenni veteres lustro explicuistis Athenæ,  
 Picta rubro quoties animantur prælia cocco;  
 Nec vetus immensum fuerint quæ sparfa per orbem  
 Gloria septenâ celebrat spectacula famâ.  
 Nam neque belligeris Babylon pulsata quadrigis  
 Mœnia, nec liquido pomaria pendula cœlo  
 Conferat, aut dextris constructa altaria Delos  
 Cornibus, aut vasti molem Rhodos aurea Phœbi:  
 Non Cares, Mausole, tui cælamina busti,  
 Phidiacum non Elis ebur, non ipsa superbas  
 Pyramidas jactet lascivi lingua Canobi. *-pi*  
 Namque hæc aut valido Neptuni quassa tridenti,  
 Aut telo, Summane, tuo traxere ruinam:  
 Aut trucibus nimbis, aut iræ obnoxia Cauri,  
 Aut tacitis lenti perierunt dentibus ævi.

At manet æternum, & seros excurrit in annos  
 Vatis opus; dumque in tacito vaga sidera mundo.  
 Fulgebunt, dum Sol nigris orietur ab Indis,  
 Prævia luciferis aderit dum curribus Eos,  
 Dum ver triftis hyems, autumnum proferet æftas,  
 Dumque fluet spirans refluetque reciproca Tethys,  
 Dum mixta alternas capient elementa figuras,  
 Semper erit magni decus immortale Maronis,  
 Semper inexhaustis ibunt hæc flumina venis,  
 Semper ab his docti ducentur fontibus haustus,  
 Semper odoratos fundent hæc gramina flores,  
 Unde piæ libetis apes, unde inclita nectat  
 Serta comis triplici juvenalis Gratia dextrâ.  
 Et quis io juvenes tanti miracula lustrans  
 Eloquii, non se immensos terræque marisque.  
 Prospectare putet tractus? hic ubere largo  
 Luxuriant segetes: hic mollia gramina tondet  
 Armentum, hic lentis amicitur vitibus ulmus:  
 Illinc muscoso tollunt se robora trunco;  
 Hinc maria ampla patent, bibulis hoc squallet arenis  
 Littus: ab his gelidi decurrunt montibus amnes,  
 Huc vastæ incumbunt rupes, hinc scrupea pandunt  
 Antra sinus, illinc valles cubuere reductæ.  
 Et discors pulchrum facies ut temperat orbem,  
 Sic varios sese in vultus facundia dives  
 Induit, & vasto nunc torrens impete fertur  
 Fluminis in morem; sicco nunc aret in alveo,  
 Nunc sese laxat, nunc expatiata coërcet,  
 Nunc inculta decet, nunc blandis plena renidet  
 Floribus, interdum pulchrè simul omnia miscet.  
 O vatum pretiosa quies, ô gaudia solis  
 Nota piis, dulcis furor, incorrupta voluptas,

Ambro-

Ambrosiæque Deum mensæ ! quis talia cernens  
 Regibus invidet ? mollem sibi prorsus habeto [lignum  
 Vestem, auram, gemmas ; tantum hinc procul esto ma-  
 Vulgus, ad hæc nulli perrumpant sacra profani.

## A M B R A.

*In poetæ Homeri enarratione pronuntiata.*

**S**PICEA si Cereris templo suspensa corona  
 Donum erat agricolæ quondam ; si vinitor uvam  
 Seposuit Bromio, quoties prædivite cornu  
 Copia se fudit ; placidam si lacte recenti  
 Pastores sparsere Palem, spumantia postquam  
 Complerant olidam supra caput ubera mulctram ;  
 Primitias & quisque sui fert muneris auctor :  
 Cur ego non vocem hanc, aut si quid spiritus olim  
 Concipit egregium, si quid mens ardua conscit  
 Rarum, insigne, sibi, si quo se murmure jactat  
 Lingua potens, cur non totum in præconia solvam  
 Mæonidæ magni, cujus de gurgite vivo  
 Combibit arcanos vatum omnis turba furores ?  
 Utque laboriferi ferrum lapis Herculis alte  
 Erigit, & longos chalybum procul implicat orbes,  
 Vimque suam adspirat cunctis ; ita prorsus ab uno  
 Impetus ille facer vatum dependet Homero.  
 Ille Jovis mensæ accumbens dat pocula nobis  
 Iliacâ porrecta manu, quæ triste repellant  
 Annorum senium, vitamque in sæcla propagent.  
 Ille Deum vultus, ille ardua femina laudum  
 Ostentat populis, ac mentis præpete nisu



Pervolitat chaos immensum, cœlum, æquora, terras;  
 Vimque omnem exsinuat rerum, vocesque refundit,  
 Quas fera, quas volucris, quas venti atque ætheris ignes,  
 Quas maria atque amnes, quas Diiq; hominesq; loquantur.  
 Quin nudam virtutem ipsam complexus honores  
 Fastidit vanos, & ineptæ præmia famæ  
 Despiciat exemptus vulgo; ac jam monte potitus  
 Ridet anhelantem dura ad fastigia turbam.  
 Vos age nunc tanti precor incunabula vatis  
 Divinosque ortus, Clio, dictate canenti.  
 Muneris hoc vestri, longis siquidem obsita sæclis  
 Fama tacet, centumque Deæ premit ora vetustas.  
 Iverat Æthiopum solitas invisere mensas  
 Oceanumque senem, & fœcundæ Tethyos antra  
 Juppiter, Ætnæoque manum exarmaverat igni,  
 Contentus sceptris: frontem tranquilla seremat  
 Majestas, sanctoque nitet pax aurea vultu:  
 Nimbi, hyemes, tonitrusq; procul: regem omne Deorum  
 Concilium facie cultuque insigne sequuntur.  
 Bistonis Mars instat equis; tu jungis olores  
 Phœbe Therapnæos: Geticâ Mars fulgurat hastâ;  
 Contendis tu Phœbe fides, arcusque retendis;  
 Lynceas agit Bromius; pavos Saturnia pictos;  
 Tardos Luna boves; annosas Delia cervas;  
 Gryphas Hyperboreos Nemesis; Cytherea columbas;  
 Fert pedibus pinnas puer Arcas, crine galerum,  
 Et chelyn incurvam, atque incurvam sustinet harpen,  
 Paciferâque duos virgâ discriminat angues:  
 Coryton puer Idalius calamosque facemque;  
 Alcides clavam, & Nemeæi vellera monstri;  
 Tartaream Pallas galeam, & Phorcynida gestat.  
 Concordes gemino radiantur Castores astro:

Claviger

Claviger in semet redeuntem computat annum  
 Jam dextrâ Deus, at Saturnum lanæa compes  
 Mulcibero jubet ire parem: nec dextra, Prometheu,  
 Non tua Caucaſææ meminit ferrata catenæ.  
 Arma Deos ſua quemque decent: nec ſegnius alti  
 Numina conveniunt pelagi: rex ipſe biformes  
 Arduus urget equos, ſævoque tridente minatur  
 Euroque, Boreæque; & vultu temperat Auftros.  
 Solus equo Zephyrus tremulis perſultat in undis.  
 Ipſe ſinu facilem molli fovet Amphitriten.  
 Ludunt Nereidum ſimplex chorus: illa ſororem  
 Provocat, & blando certat ſuperare natatu:  
 Hæc junctum delphina regit, præmit illa leonem;  
 Trux vehit hanc aries, olido ſedet illa juvenco:  
 Inſultant aliæ monſtris, quæ plurima vaſtus  
 Subluit Oceanus, ſcopulis horrentia Cete,  
 Balænam, Piſtrimque, & Phyſetera marinos  
 (Si qua fides vero eſt) efflantem ad ſidera fluctus;  
 Quædam & ſemiferi dorſo Tritones amico  
 Excipiunt, bifidæque ligant curvamine caudæ:  
 Et nunc tortilibus permulcent æquora conchis,  
 Dulcia nunc flexis cervicibus oſcula captant.  
 It Phorcus pater, it Glaucus, longamque per undas  
 Canitiem trahit, & Nymphis luçantibus inſtat:  
 Inouſque puer, Glauca cum matre, repulſas  
 Nunc intèr laſcivit aquas; nunc improbus extat  
 Pube tenus, conchasque & rubra corallia vellit.  
 Tu quoque non dubio frontem laxare ſeveram  
 Tandem auſus riſu, Proteu: verum una peremptum  
 Plorat adhuc natum Thetis, & crudelia Divûm  
 Numina, crudeles Parcas miſeranda laceſſit;  
 Ac precibus mixtas obliquans ſæva querelas,

Exitique reum citat, & convicia fundit.

Tum vix passâ toro primos accumbere Divûm

Procurrit turbata comas, & pectore nudo,

(Sic dolor ille monet) lævâque amplexa verendi

Genua Jovis, dextrâque attentans supplice barbaram

Talibus affata est: O qui stellantia nutu

Regna quatis, viden' ut magnâ de gente Dearum

Sola ego perpetuo (quid enim mea vulnera celem?)

Tabescam luctu, vestrasque infesta profanem

Has epulas? quodnam ob meritum pater optime? certe

Non ego vincla tibi, scis, ô, scis ipse parabam

Magne fator, non Corycio tua tela sub antro

Servabat Thetis anguipedi jurata Typhœo.

Nec non mortales thalamos, humilemque maritum

Conquerimur: fuerint Parcarum vellera justis

Invida connubiis, liceat timuisse Tonanti:

Quamquam ô (sed taceo) cur autem summe Deorum

Cur meus Æacides Latoïa tela cruentat

Te minor? ane etiam sobolem damnavimus ipsæ,

Aut faciem Titani tuam? sed vertite quæso,

Me quoque jamdudum in silicem, nec marmora solum

Tristibus æternum lacrimis Sipyleïa manent.

Hos certe ingrato cineri, mutisque sepulchris,

(Quando aliud quid sit) genitrix persolvat honores

Si neque perpetuæ saltem illum munere laudis

Dignaris pater, & Lethen parva accolet umbra.

Talia voce refert, genibusque affixa Tonantis

Hæret inexhaustum lacrimans sparsisque capillis.

Jamque Deos omnes dictis, & imagine mœstâ

Flexerat: invidiam sensit, vultusque retorfit

Ad Venerem Phœbus: tum Divam pauca moratus

Sublevat omnipotens, verbisque ita mulcét amicis:

Ne

Ne crede æterno incisas adamante revelli  
 Possè Deûm leges; stant omne immota per ævum  
 Quæ triplices nevere colus, nec funera nati  
 Flet Thetis una sui: communes define casus  
 Adnumerare tibi, ac totam hanc circumspice turbam:  
 Scilicet invenies consortes undique luctûs;  
 Me quoque in his: siquidem transegit Opuntia cuspis  
 Ductorem Lyciæ, & moribundum in pulvere merfit.  
 Nec tu digna tamen, fateor (ni fata repugnent)  
 Quæ tam sæva gemas, quæ mortales Hymenæos  
 Nerei pertuleris, nec solus Apollinis arcus  
 Pignora Divarum Phrygiis tamen obruit arvis.  
 Est etiam cui Memnoniam Pallantias urnam  
 Imputet, atque adeo tristes ut pectore curas  
 Excutias, animumque leves, reddetur Achilli  
 Ingens tantorum pretium (mihi crede) laborum:  
 Nam neque Cerbereos rictus, nec Erinnyas atris  
 Anguibus implicitas inamœnaque Tartara passus  
 Elysiûm tenet hic magnâ venerabilis umbrâ.  
 Mutatis pulchram auspiciis sibi Colchida junget  
 Solis & Oceani volventi progener ævo.  
 Utque Rhodos Solem, Venerem Paphos atque Cythera,  
 Junonemque Samus, Cereremque Typhoiâs Ætne,  
 Me mea Creta colit; sic nato candida Leuce,  
 Leuce, quæ Scythicis procul insula personat undis,  
 Tempa tuo ponet: nautis hic ille sub alto  
 Fata canet luco venturæ nuntia fortis.  
 Adde, quod & pulchro tradetur pulchra marito  
 Tyndaris Æacidæ stellis fulgentibus ardens:  
 Meque dabit socerum: thalamis en sternuit istis  
 Pulcher Hymen, grataque vices fortita Voluptas  
 Jam nunc dividos juveni despondet amores.

Utque tuos artus nunc dulci Gratia nodo,  
 Nunc Paphie roseis necit Vulcane lacertis:  
 Sic illum formosa Helene, formosa Cytæis  
 Auferet alternum, & lentus festa otia ducet.  
 Famaque (nec dubita) centeno gutture vestros  
 Indefessa canet cœloque æquabit honores.  
 Audiet hos & quem torrenti flammeus astro  
 Carcinus æstiferis late dispescit arenis;  
 Et quos Herculeæ summôrunt orbe columnæ,  
 Atque hominum primi Blemyæ, quosque altior axis  
 Cogit Hyperboreos subter durare Triones.  
 Nulla virum gens, nulla dies, nusquam ulla tacebit  
 Posteritas, nullâ teget invida nube vetustas.  
 Quippe Deûm sanctâ nascetur origine vates,  
 Qui lucem æternam factis immanibus addat,  
 Qui regum fera bella tonet, grandique tremendas  
 Obruat ore tubas; cuius vocalia Syren  
 Pectora, & Aonidum miretur prima sororum.  
 Ille tuum, Theti, Peliden venientibus annis  
 Dedet honoratum, serisque nepotibus unum  
 Theffalus exemplum virtutis habebitur heros.  
 Quondam etiam nostro juvenis de sanguine cretus  
 Dux bello invictus, Gangem domiturus, & Indos,  
 Atque Semiramias fracturus cuspide turres,  
 Felicem tanto præcone vocabit Achillem.  
 Et dubitabis adhuc obductæ nubila frontis,  
 Atque importunas Euris mandare querelas?  
 Quin audes laxare animum, vultusque priores  
 Induis, & lætis hilarem te cœtibus inferis?  
 Dixerat: illa oculis jamdudum absterferat imbrem  
 Læta omnem, ætherio grates agit inde Tonanti,  
 Instauratque comas, cultusque habitusque decoros

Accipit:

Accipit: hic Divam glaucarum tota fororum  
 Circumsufa cohors studio excolit; ipsa sibi obstat  
 Sedulitas: pars fingit acu, crinemque lapillis  
 Spargit Hydaspis; hæ baccas auribus addunt,  
 Restituuntque sinus; illa aurea cingula donat;  
 Donat Erythræis hæc plena monilia conchis.  
 Lætantur Nereusque pater, grandævaque Doris.  
 Continuo redit ille decor, suffusaque pulchris  
 Fax radiat tranquilla genis: procul exulat omnis  
 Tristitia, insuetam tentant nova gaudia mentem.  
 Haud aliter verno cum pulsa rosaria nimbo  
 Frondentis rutilum virgæ spoliantur honorem;  
 Desluit expirans dominæ cruor, iætaque lapsis  
 Commoritur foliis halantum gratia florum:  
 Ast ubi mox clarum jubar aureus exeruit Sol,  
 Augescunt recidiva novis tum germina truncis,  
 Lætaque nativas ostentat purpura gemmas.  
 Jamque implere fidem divini cœperat oris  
 Æacides thalamo, & templis, & honoribus auctus;  
 Cum partum ingentem memor extulit Ilithyia.  
 Hermæo prætenta sinu fuit inclita quondam  
 Urbs toti prælata Asiæ, Boëbeius illam  
 Conjugis extinctæ monumentum nobile Theseus  
 Esse dedit Smyrnes, arcemque in monte locavit  
 Prospectantem undas semel, & sua tecta tuentem.  
 Quo flet mœsta filix Niobe, Niobesque sepulchrum:  
 Hic placido fluit amne Meles, auditque sub altis  
 Ipse tacens antris meditantes carmina cycnos.  
 Hæc vatem eximium tellus [ita sancta vetustas  
 Credidit] hæc illum dias in luminis oras  
 Prima tulit: pater Aonii Deus incola luci  
 Ducere assuetus thiasos, sacrisque sororum

Responfare choris, & par contendere Phœbo,  
 Furtivo pulchram implebat Critheïda foetu:  
 Inde capax nato ingenium, largusque verendæ  
 Scilicet haustus aquæ primo (si credimus) ille  
 Vagitu horrifoni fternebat murmura ponti,  
 Pacabat ventos, molliabat corda ferarum:  
 Ipsa etiam lacrimas Sipyleïa fundere cautes  
 Desistit audito: reptabat maximus infans  
 Fluminis in ripa; reptantem mollibus ulnis  
 Nais arenivagum rapiebat sæpe sub annem  
 Ostensura patri, & rursus exponebat in ulvâ,  
 Flore breves cinctum, aut apio rorante, capillos,  
 Vosque Ethæocleæ (ni mendax fama) sorores  
 Misistis lectas Horarum à fonte corollas,  
 Flavaque virgineam puero immulisse papillam  
 Dicitur Actæo ceu quondam Pallas Erechtheo.  
 Ipse ut jam certo vestigia ponere nisu,  
 Utque datum variâ vocis effingere linguâ,  
 Gaudebat calamos Hybleis jungere ceris,  
 Dilectos Bromio calamos; gaudebat & uncam  
 Ore inflare pio, ac digitis percurrere loton:  
 Grande tamen calami reboant, grande unca remugit  
 Tibia; sæpe illum vicinâ Faunus in umbrâ  
 Demirans, aures tacitus tendebat acutas,  
 Et subito puerum Satyri cinxere theatro,  
 Cum Satyrisque feræ, sed quæ nil triste minentur;  
 Cumque feris sylvæ, sed quæ alta cacumina motent,  
 Multifidæque sacris adnutent legibus auræ.  
 Ipsi quinetiam riguo Pactolus & Hermus  
 Certatim affluxere auro, jussosque tacere  
 Ripâ ab utrâque suos Mæander misit olores:  
 Mæander sibi met refluis sæpe obvius undis,

Mæan-

Mæander sub humum pudibundo flumine labens:  
 Quod puerum ignarus Carpon, dum ludit in undâ,  
 Delicias nati, mox natum merferat alveo,  
 Infelix genitor: sed venti id crimen amantis.  
 Verum ubi primævæ dubio se flore juventæ  
 Induit ac plenis adolevit fortior annis,  
 Carmen amat, cæcæ (proh maxima numina vatum!)  
 Carmen Apollineo tantum modulabile plectro,  
 Carmen Caucasæas filices, cautemque Sicanam  
 Quod trahat, & rigidi leges infringat Averni,  
 Exarmetque Jovis minitantem fulmine dextram,  
 Jamque infana sacrum vis, infertusque medullis  
 Extimulat vatem Æacides; jam parturit altum  
 Mens opus, & magnis animosa accingitur ausis.  
 Ille tamen quænam ora suo qui vultus Achilli,  
 Quive oculi, quantum maternis fulguret armis,  
 Scire avet, ah nimius voti, violentaque fundens  
 Murmura, terribilem tumulo ciet improbus umbram,  
 Continuo Sigæus apex concussus in æquor  
 Procumbit, raucumque gemit Rhœtæia contra  
 Littora, & effusis tremis ardua fontibus Ide;  
 Semiustumque cavo Xanthus crinem abdidit antro,  
 Ecce tuens torvum, nec vati impune videndus  
 Phthius honoratis heros adstabit in armis, *bat*  
 Qualis Peliacâ Teucros obriverat hastâ,  
 Priamidem versâ à Danais dum quæreret irâ  
 Ultor, & heu fluviis miseros, campisque fugaret:  
 Flammeus ignescit thorax, auroque minatur  
 Terrifico radiatus apex, in nubila surgit  
 Fraxinus, & longâ rursus Hæctora vulnerat umbrâ:  
 Ipse ardens clypeo ostentat terramque fretumque  
 Atque indefessum Solem, Solisque sororem

Jam



Jam plenam, & tacito volventia sidera mundo.  
 Ergo his defixus vates, dum singula visu  
 Explorat miser incauto, dum lumina figit,  
 Lumina nox pepulit, tum vero exterritus hæsit,  
 Voxque repressa metu, & gelidos tremor impulit artus.  
 At juvenem facer Aonium miseratus Achilles,  
 Quandoquidem, Saturne, tuas inflectere leges  
 Haud licitum cuiquam: clypeo excipit, oraque jungens  
 Inspuit augurium, baculum dat deinde potentem  
 Tiresiæ magni, qui quondam Pallada nudam  
 Vidit, & hoc raptam pensavit munere lucem,  
 Suetus inoffensus baculo duce tendere gressus.  
 Nec deest ipse sibi: quin sacro instincta furore  
 Ora movet, tantique parat solatia damni.  
 Æaciden tamen, Æaciden cœlo æquat, & astris;  
 Æaciden famæ levat arduus alite curru;  
 Unum Dardanidis, unum componit Achivis  
 Æaciden; unum ante omnes miratur, amatque;  
 Ac primum irarum causas trepidique tumultus  
 Expedit; utque luem neglecta induxerit ægris  
 Relligio populis; ut regem irritet amantem  
 Thestorides; ut acerba fremens, vix temperet ipso  
 Ense puer Thetidis, vix magni sanguine Atridæ  
 Abstineat, Divæ admonitu; quæ jurgia contra  
 Dux ferat incensus dictis; quo vulnera Nestor  
 Melle riget, quantum amisso dux frendeat alter  
 Munere: quos nato genitrix exoret honores,  
 Quid doleat Juno; cœlo quid portet ab alto  
 Insidiosa quies; quæ rex obliquet inertis  
 Tentamenta fugæ; faciat Laërtius heros  
 Quantum operæpretium, cum dulcibus aspera miscet,  
 Cum vaga clamoræ reprimat convicia linguæ,

Cum

Cum suadet durent castris, præsaque monstrat  
 Fata Deum: memorat platanum, infantesque volucres  
 Cum matre absumptas, versumque in faxa draconem:  
 Quo Pylius fremat ore senex, ut pacta fidemque  
 Deplorat, dextrasque datas; ut fulmina narret  
 Missa polo; ac pretium ostendet victoribus urbem:  
 Quæ facies Danaum, cum sese in munia Martis  
 Accingunt; quantum dux ore, & pectore, & armis  
 Eminat: tum Pieridas sua numina rursus  
 Consulit, Hectoreasque Agamemnoniasque phalanges  
 Enumerans ipsos icto mox foedere amanti *tes*  
 Committit, victumque rapit Phryga nubibus atris,  
 Victorem Atriden nec opino vulnerat arcu.  
 Tum pugnam instaurans toto dat funera campo,  
 Haud dubitans altâ Tydiden strage cruentum  
 Dardanio, Lycioque duci, totidemque repente  
 Objectare Deis, Glauci post munere pulchro  
 Insignem auratis ostentaturus in armis.  
 Quid nunc Sidonio tentatam Pallada peplo,  
 Quid memorem lacrimas Thebææ conjugis, & te  
 Parve puer cristas & cassidis æra timentem?  
 Teque heros longe gradientem, & torva tuentem,  
 Quassantemque procul metuendam cuspidis umbram,  
 Atque ausum corde impavido solum Hectora contra  
 Stare diu? quid te populorum fata duorum  
 Lancibus æquantem imparibus, rex magne deorum,  
 Aut miseros tonitru Danaos, & lampade sæva  
 Terrentem? quid te vallo, castrisque minantem  
 Priamida arripotens? his rursus adjungitur ardens  
 Heu precibus nihil & donis inflexus Achilles,  
 Exceptusque Dolon, & somno proditus heros  
 Othrysius, tacitaque averse nocte jugales,

Qui

Qui superent candore nives, qui curfibus æquent  
 Flamina: mox ipsi ferro telisque repulsi  
 Ductores Danaum, clypeoque interritus Ajax  
 Tutari sociam classẽ, Iliacumque paratus  
 Ductorem, & ferrum, & flammam exceptare, Jovemque;  
 Quem cesso tamen Idalio conjunxque fororque  
 Implicat, & somni facies mentita volucrem,  
 Dum pater æquoreus fessis adspirat Achivis.  
 Nec mora, Peliacis cum longe horrendus in armis  
 Emicat, & nubem belli defensat Achivis  
 Actorides, ac sanguineo Sarpedona campo  
 Obruit, heu magni prolem Jovis inde secundis  
 Elatus rerum, Balium, Xanthumque jugales.  
 Quos Zephyro peperit geminos Harpyia Podarge:  
 Et te captivo funalem Pedase collo  
 Igneus extimulat, Scææque in limine portæ  
 Concidit, ah tanti nimium securus amici.  
 Nam quid Panthoiden fœdantem sanguine crines  
 Illos, proh dolor, argentoque auroque micantes?  
 Quid primos querar heroum pro corpore functo  
 Certatim obnifos inter se haud cedere certos,  
 Atque animam exanimum funus super exhalantes?  
 Ecce suum tandem cantor Smyrnæus Achillem  
 Suscitat, ardentem clypeo, atque Hyperionis orbem  
 Orbe laceffentem pulchro, & cœlestibus armis,  
 Ingentique manu Centaurica tela tenentem,  
 Atque immortales adigentem in prælia bigas.  
 Hic vero obverfis Victoria remigat alis,  
 Dum rapit inferias, dum curribus ille, virisque  
 Atque armis, & equis minitantem infestior implet  
 Xanthon, & arsuras angustat cædibus undas.  
 Vix ego nunc si mille sonent mea pectora linguis,  
 Voxque

Voxque adamante rigens, atque indefessus anhelet  
 Spiritus infusum totos Pæana per artus,  
 Bella Deûm narrem, terram ipsam immane gementem,  
 Clangentemque polum, Martemque in jugera septem  
 Porrectum, multoque comas in pulvere mersum,  
 Ægidaque horrificam, protectamque ægide pectus  
 Pallada, nil magni metuentem fulmina patris :  
 Imbellemque Deam Venerem; & te Phœbe tridenti  
 Summittentem arcus, & te Latonia virgo  
 Jam pavidam, ac vacuâ linquentem castra pharetrâ.  
 Nec si Castalios ipsis à fontibus amnes  
 Hauriat os avidum, nec si Pirenida lympham,  
 Pimplæosque bibat latices, æquare canendo  
 Hectora sanguineum violentumque ausit Achillem :  
 Hectora pro patriâ clarisque penatibus unum  
 Stantem animis contra, qualis draco pastus amarus  
 Per brumam succos, venientem expectat iniquus  
 Pastorem, & tumido furiatus felle cruentum  
 Spectat, hians immane, cavoque advolvitur ingens.  
 Æacidem autem cædem, & crudele ferentem  
 Exitium : qualis vasti canis Orionis  
 Per noctem exercet radios, sævumque minatur.  
 Jamque illum ante oculos, amborum ante ora parentum  
 Raptatum Hæmonio circum sua moenia curru,  
 Jam funus Patrocle tuum, Priamumque superbos  
 Porrectum ante pedes, atque auro suppliance victum  
 Dixerat invictum juvenem, lamentaque sæva  
 Iliadum, mœstosque rogos, cineremque sepultum :  
 Cum subito in somnis Ithaci experientis imago  
 Visa viro, sic ampla humeros, sic pectora fundens,  
 Sed lethale gerens vulnus : namque inficia nati  
 Dexterâ quæsitum per cærule vasta parentem

Protinus

Protinus æquoræ viroso trygonos ictu  
 Perculèrat, five ira Deùm, seu fata jubeant:  
 Atque ait: O magnæ qui princeps debita laudè  
 Præmia perfolvis, qui lenta oblivia sæclis  
 Excutis, & feros famam producis in annos;  
 Anne tot exhaustos nobis terraque marique,  
 Lethæo merfos fluvio patiere labores?  
 Nec sua reddetur virtuti gloria merces?  
 Namque licet virtus semet contenta quiescat,  
 Sola tamen justos virtus adsciscit honores,  
 Solaque se merito laudum fulgore coronat.  
 Quinetiam ignaris præferre nepotibus optat  
 Prima facem, ac monstrare viam, quæ tendat in altum  
 Culmen, & è celfo scandenti porgere dextram:  
 Quem neque posteritas, neque tangit fama superstes:  
 Nempe aliis exempla, sibi vitam invidet amens.  
 Ergo sub Iliacis tractantem prælia muris  
 Graius Achilleis populus donaverit armis:  
 Tu vero emenso quæ gessi plurima ponto,  
 Quæque tuli, nullo vates dignabere cantu,  
 Quem solum vocat iste labor, cui pectore pleno  
 Defluit illa meæ felix opulentia linguæ?  
 Incipe, namque adero, & præsens tua coepta juvabo.  
 Hæc ait, & pariter somnusque Ithacusque recessit.  
 Ille novo rursus Musarum percitus cæstro  
 Concinit abiegnæ Danaos compagibus alvi  
 Occultos, & equi molem, fraudemque Sinonis,  
 Indiciiue metu præclusum pollice fauces  
 Anticlon Ortygiden; populataque Pergama flammis  
 Disjectasque rates, patriumque à Pallade missum  
 Fulmen, Oilidenque ignes & sulphura fixo  
 Pectore profantem, teque importune Caphareu;

Nec faciles Ciconas, fortunatosque ciborum  
 Lotophagos; vinoque gravem Cyclopa per antrum  
 Exporrectum ingens, humanaque frustra vomentem-*ta*  
 Mixta mero; inque bovis constrictos tergo ventos;  
 Et Lamium Antiphaten, & virgam, & pocula Circes;  
 Cimmerionque domos, Everidemque locutum  
 Vera senem; fusoque allectos sanguine manes,  
 Et maris illecebras; vocemque impune canoræ  
 Virginis auditam; Scyllamque, avidamque Charybdin,  
 Lampetienque patri violata armenta querentem;  
 Immerfosque undis socios, ipsumque natantem  
 Littus ad Ogygies, & Atlantidos antra Calypsus;  
 Neptunumque iterum, ventosque, undasque cientem;  
 Leucotheamque piam, Cercyræosque recessus  
 Hospitio faciles; subitumque in gurgite montem;  
 Assertumque larem tandem, ultricesque sagittas.  
 Ergo tegunt geminæ victricia tempora laurus  
 Vatis Apollinei, geminis ergo arduus alis  
 Fugit humo, celsumque altis caput intulit astris,  
 Par Superis, ipsique Jovi, quo nulla rebellis  
 Spicula livor agat, quo nulla adspiret iniquæ  
 Tempestas foeda Invidiæ: sic eminent extra,  
 Liber, & innocuus, toto sic ille sereno  
 Perfruitur gaudens, magni ceu purus Olympi  
 Supra imbres vertex & rauca tonitrua surgit,  
 Despectatque procul ventorum prælia tutus.  
 Quo nunc divitias animosi carminis ore  
 Exequar? haud illi plenâ se conferat urnâ  
 Hermus, & auratâ radians Pactolus arenâ,  
 Et Tagus, & Durius, latebris quodque eruit audax  
 Dalmata, quodque procul Bessus rimatur, & Astur;  
 Fusile Calliacâ quodque in fornace liquefcit;

Decolor

Decolor in toto quodque invenit Indus Hydaspes ;  
 Quemque Rhodos fulvis hausit de nubibus imbrem,  
 Quodque manu Dea cæca tenet prædivite cornu  
 Utque parens rerum fontes & flumina magnæ  
 Suggestit Oceanus terræ, sic omnis ab istis  
 Docta per ora virûm decurrit gratia chartis.  
 Hinc fusa innumeris felix opulencia seclis  
 Ditavit mentes, tacitoque in floruit ævo :  
 Omnia ab his, & in his sunt omnia ; sive beati  
 Te decor eloquii, seu rerum pondera tangunt.  
 Nam quæ tam varium Memphitis stamen arundo  
 Separat, aut quæ sic Babylonos texta potentis  
 Sollicitâ pinguntur acu, quæ tanta colorum  
 Gloria, cùm pinnis Zephyri rorantibus adfunt ;  
 Quantus honos vocum, quam multis dives abundat  
 Floribus, & claris augefcit lingua figuris ?  
 Sive libet tenui versum deducere filo ;  
 Seu medium confine tenet : seu robore toto  
 Fortior assurgit : seu venâ paupere fertur  
 Aridius ; celeri seu se brevis incitat alveo ;  
 Gurgite seu pleno densisque opulentior undat  
 Vorticibus ; sive humentes læto ubere ripas  
 Dædala germinibus variat, majore nec unquam  
 Sermo potens meminit se majestate loquentem.  
 Quod si facta virûm victuris condere chartis,  
 Flectere seu mavis orando & fingere mentes,  
 Hunc optato ducem : non causas doctius alter,  
 Personamque, locumque, modosque, & tempus, & arma,  
 Remque ipsam expediat, dum nunc jactantior exit,  
 Nunc contorta ruit, nunc se facundia profert  
 Simplicior, variâ nunc floret imagine rerum.  
 Dulcius eloquium nulli, nec apertior unquam

Vis fandi fuit, aut quæ mentibus acrior inflet.  
 Indole quemque fuâ pingit, sua cuique decenter  
 Attribuit verba & mores, unumque tenorem  
 Semper amat, meminitque sui; scit & unde moveri,  
 Et quo sit prodire tenus; fufumque gubernat  
 Arte opus, & mediis prima ac postrema revincit.  
 Nunc teneras vocat ad lacrimas, nunc igneus iram  
 Suscitât, interdum retrahit, probat, arguit, urget.  
 Nunc nova suspendunt avidas miracula mentes,  
 Foeta bonis, ipsum utiliter celantia verum.  
 Quidquid honorato sapiens canit ore vetustas,  
 Doctaque multijugæ post hunc divortia sectæ,  
 Hinc haustum, five infantis cunabula secli,  
 Seu conspirantes pugnaci foedere causas,  
 Discordemque fidem, & genitalia semina rerum,  
 Seu potius mundi fines, Divûmque rotatas  
 Contemplere domos, atque obluctantia cœlo  
 Sidera; quæ magnum vis tanta Hyperionis orbem  
 Torqueat; exhaustam reparat quo fonte soxorem  
 Aufam fraternis mediam se opponere flammis,  
 Et subitis violare diem lucemque tenebris:  
 Conscia fatorum cùm mens animaverit astra:  
 Unde tremat tellus, trifidâne impulsa labore  
 Cuspide Neptuni, cæcis an terga cavernis  
 Subdat atrox Boreas, nostrum erupturus in orbem?  
 Ventorum nunc ille vices, nunc fulminis ortus  
 Monstrat, & elisis crepitantes nubibus auras:  
 Curque ruunt imbres, subitus cur lumina fulgor  
 Sic ferit, ut medium credas discindere cœlum.  
 Esse Deum, mentem immensam, rerumque potentem,  
 Cunctaque complexum, stabili qui lege gubernet  
 Naturam, mundi que vices; qui fata solutis



Subjuget arbitriis, qui temperet omnia solus.  
 Esse animos lethi exortes, sed corpore claudi  
 Ceu tumulo, quos in varias tamen ire figuras,  
 Hoc dictante docet tacitæ dux ille cohortis,  
 Antè ortus memor usque sui, sibi que ipse superstes.  
 Quin & præcellâ rationem sistit in arce  
 Ceu Dominam; tristes in pectore concitat iras,  
 Viscera degeneri damnata cupidine passus.  
 Nec tacet unde æger cruciat dolor, unde rebellem  
 It furor in rabiem; cur pallent ora timentum;  
 Genua tremunt; stant corda gelu; stant vertice crines:  
 Quæ summi sit meta boni, quæve orbita rectum  
 Signet iter; quo se confundat devius error;  
 Quot virtus fluat in rivos, quo cardine honestum  
 Vertatur, rebus quantum fortuna caducis  
 Præsit, ut humanos toleret mens cruda tumultus:  
 Quæ cives mensura premat, quo robore leges  
 Firmentur; plus consilio res crescat an armis  
 Publica: quas belli tentet dux callidus artes:  
 Quam vocum sit amica fides: quam magna gregandis  
 Relligio numeris; quantis præfagia signis  
 Consultes, quantum succos rimata salubres  
 Ardua Pæoniæ valeat solertia dextræ.  
 Hinc & magniloquis voces crevere cothurnis:  
 Hinc lasciva datos riserunt compita foccos;  
 Quique adstricta brevi claudunt epigrammata nodo.  
 Quin & Apellæos digitis animare colores  
 Monstrat; Olympiaco quin is dedit ora Tonanti.  
 Nec faber ille negat, dum nigris mota laborant  
 Cuncta superciliis, immortalesque sequuntur  
 Astra jubas; sanctâ dum majestate tremendum  
 Excipiunt, magnoque assurgunt numina patri.

Heroumque idem facies, & celsa potentum  
 Ora Deum, variisque horrenda animalia formis,  
 Diversasque urbes, positusque, habitusque locorum  
 Innumeros, sensusque animorum, carmine pulchro,  
 Naturamque omnem illâ ipsâ mirante figurat.  
 Huic aras, huic templa dedit veneranda vetustas :  
 Hunc ære, hunc saxo, fulvoque colebat in auro :  
 Hunc unum auctorem teneris præfecerat annis,  
 Rectoremque vagæ moderatoremque juventæ :  
 Hunc etiam leges vitæ agnovere magistrum :  
 Omnis ab hoc doctas sapientia fonte papyros  
 Irrigat : hunc proprias olim Gangetica tellus  
 Transtulit in voces : hujus natalia septem  
 Quæque sibi rapiunt studiis pugnacibus urbes :  
 Hunc & Sithonii patientem jura flagelli  
 Afferuit patrio vindex Ptolemæus ab amne :  
 Hunc quoque captivo gemmatum clausit in auro  
 Rex Macedum ; mediis hunc consultabat in armis :  
 Hoc invitabat somnos, hinc castina bella  
 Concipere, huic partos suetus jactare triumphos.  
 Et nos ergo illi gratâ pietate dicamus  
 Hanc de Pierio contextam flore coronam,  
 Quam mihi Cajanas inter pulcherrima Nymphas  
 Ambra dedit patriæ lectam de gramine ripæ ;  
 Ambra mei Laurentis amor, quam corniger Umbro,  
 Umbro senex genuit domino gratissimus Arno ;  
 Umbro suo tandem non erupturus ab alveo :  
 Quem super æternum staturæ culmina villæ  
 Erigis, haudquaquam muris cessura Cyclopum,  
 Macte opibus, macte ingenio, mea gloria Laurens,  
 Gloria Musarum Laurens ; montesque propinquos  
 Perfodis, & longo suspensos excipis arcu,

Prægelidas ducturus aquas, quæ prata supinum  
 Lata videt Podium riguis uberrima lymphis,  
 Aggere tuta novo, piscosisque undique septa  
 Limitibus, per quæ multo servante molosso  
 Plena Tarentinis succrescunt ubera vaccis:  
 Atque aliud nigris missum (quis credat?) ab Indis  
 Ruminat ignotas armentum discolor herbas. **I**  
 At vituli tepidis clausi fœnilibus intus  
 Expectant totâ sugendas nocte parentes.  
 Interea magnis lac densum bullit ahenis:  
 Brachiaque exertus senior, tunicataque pubes  
 Comprimit, & longâ siccandum ponit in umbrâ.  
 Utque piæ pascuntur oves, ita vastus obeso  
 Corpore sus Calaber caveâ stat clausus olenti,  
 Atque aliam ex aliâ poscit grunitibus escam.  
 Celtiber ecce sibi latebrosa cuniculus antra  
 Perforat; innumerus net ferica vellera bombyx.  
 Ad vaga floriferos errant dispersa per hortos,  
 Multiforumque replent operosa examina suber.  
 Et genus omne avium captivis instrepat alis.  
 Dumque Antenorei volucris cristata Timavi  
 Parturit, & custos Capitoli gramina tondet,  
 Multa lacu se merfat anas, subitâque volantes  
 Nube diem fuscant Veneris tutela columbæ.

## J A C O B I S A D O L E T I.

## D E Q U I N T O C U R T I O.

**I**RE per æternos ævi venientis honores  
 Conspicuum meritis, & jugi vivere famâ  
 Fas illum est, quem fata vocant, cui pectore præfens  
 Excubat, atque animum cœlo adjicit ignea virtus:  
 Cujus sæpe sagax trepidis prudentia rebus  
 Vestigavit opem, docuitque haud sera senatum:  
 Sive armis ille, & dextrâ, seu morte cadentem  
 Servavit patriam, atque hostes in funere vicit.  
 Nec tamen est decorum tantorum maxima merces  
 Laude hominum, aut positis trivio spectanda trophæis,  
 Quamvis longa datum struerent in secula nomen:  
 Vèrum illuc melior spes evocat, unde recepti  
 In lucem fumus, ac patrios revocamur ad ortus,  
 Cum cœlum, superosque lares, axemque serenum  
 Suspiciamus, rapido circum qui sidera flexu  
 Torquet, & immensos actis ciet orbibus orbes.  
 Hunc Pater omnipotens alternâ luce micantem  
 Constituit, nec non pulchra in spectacula claris  
 Ignibus & multo stellantem insigniit auro:  
 Dignam sedem animis præstantibus illa Deorum,  
 Illa domus nobis patria est; hîc nobile magnæ  
 Accipiunt pretium, regnantque per æthera mentes.  
 Sed fuit hoc olim, superas evadere ad arces  
 Regia tecta Deûm cœtu meruere frequenti  
 Magnanimi heroës; prisca quos extulit annis  
 Tunc, cùm larga ducum fundebat semina tellus.  
 At nunc (quandoquidem hæc turpi consumpta veterna

Jampridem infelix, inhonoraque tabuit ætas,  
 Et cecidit decus & dominantum more sinistro  
 Ejectum ingenium, virtusque faceffere jussa est)  
 Nos veterum facta haud segnes repetamus avorum.  
 Fortia, & ad priscum curam hanc vertamus honorem;  
 Quà fortuna finit, quantum est concessa facultas.  
 Sitque prior, quem non metus, & gravis ira deorum  
 Terruit, Abyssæ non monstra immania terræ,  
 Quin factò egregio infernis se traderet aris.  
 Nam sive infensis Capitoli arcisque Lycææ  
 Præsidibus superis, clausi seu turbinis æstu  
 Mota loco tellus spatii discrimine vasto  
 Abstiterat, medioque foro patefacta vorago  
 Abrupta in præceps, immensa orisque profundi  
 Summotas referans fauces (trepidabile visu)  
 Tartaream ad noctem, ac sedes penetrârat Avernas,  
 Intuleratque diem, cœloque refuderat umbram.  
 Prodigium horrendum, ceu nigro abduntur hiatu  
 Tænara Cumææque domus latebrofa Sibyllæ!  
 Extemplo exciti monstro populisque patresque  
 Concurfu appropierant magno, & de collibus altis  
 Densi adspectantes, Stygii ut portenta sepulchri,  
 Atque atram videre luem, rimosaque circùm  
 Æquora, & immani jamjam vi rupta barathro,  
 Perculsis stupuere animis; tum frigidus artus  
 Concussit tremor, & subito per membra cucurrit:  
 Nec jam stare gradu, aut tumulis sublimibus audent;  
 Sub pedibus latè scindi, infidumque labare  
 Omne solum, collesque ipsi subsidere in ima  
 Tartara, & obscurâ mergi sub nocte videntur.  
 Jamque metu trepidos, subitâque redire volentes  
 Inde fugâ fallit conatus, ægra receptum

Genua negant : gelido concretis sanguine fibris  
 Nec vires membris notæ, nec vox sonat ore.  
 Ac veluti si quando truci sub imagine somni  
 Declivi è scopulo ripave, horremus ab atrâ  
 Præcipitem casum, refugit calor ossibus omnis ;  
 Et vires & membra cadunt : non anxia vocem  
 Verba sonant ; pressos sopor & timor alligat artus :  
 Haud secus Æneadæ gelidâ formidine tardos  
 Implicuere gradus, nec vis sua tollit euntes,  
 Spectantesque fugam, prorsusque extrema trementes :  
 Tandem ubi gliscenti gravis est mora visa periclo,  
 Incubuitque malum violentius, & metus alter  
 Excussit stupidos, ac mentis reddidit usum :  
 Quærere opem rebus summis & nitier omni  
 Auxilio, raptimque cavas explere latebras  
 Aggere projecto, & congestis molibus instant.  
 Incassum labor omnis, & irreparabile damnum  
 Humanam contemnit opem ; spes una superstes,  
 Siquis apud divos veniæ locus : ergo per omnes  
 Ire aras pueri & matres ; timidæque puellæ  
 Supplicibus vôtis certatim exposcere pacem  
 Numina sancta Deûm, cœloque extendere palmas :  
 Nec minus intereà Tyrrenæ gentis aruspex  
 Fata aperit, sic divinis monstrantibus extis,  
 Ore canens : O Dardanii spes inclÿta Iuli  
 Mars pater, astrifero genus & cui nobile cœlo,  
 Et virtute fidem & præstantibus adstruit armis ;  
 Non hæc cœlicolûm grave & implacabile numen.  
 Nunc portenta novat, sed hianti luridus orco  
 Eumenidum dolor, & ruptæ discordia terræ  
 Insigni redimenda bono, quo maximus usus  
 Imperii ad columen, famæque sequentis honorém.

Hanc fati obscuram vocem, monitusque Deorum  
 Concilio exceptos, non unis mentibus omnes  
 Accipere: ambigui sensus, diversaque patrum  
 Murmura, nec cunctis eadem est sententia linguis.  
 Acer erat bello, & primis spectatus in armis  
 Curtius, eductum Curibus quem antiqua vetustis  
 Nobilitas laude & serie decorabat avorum.  
 Namque ferunt, urbis jaceret cùm prima superbas  
 Fundamenta pater, captâque ex arce Sabini,  
 Fœminei ultores raptus, jam valle subirent,  
 Conferrentque aciem, atque anceps fortuna duelli  
 Ambigeret; facinus clarum, longèque fuisse  
 Egregiam laudem, nomen memorabile Curti.  
*liv* Isque diem (postquam ad pacem versa arma ducesque  
 Imperii junxere fidem, dextraeque dedere)  
 In partem meritò patriæ & præclara vocatus  
 Præmia, nec studio deinceps, nec defuit usu  
 Romulidis, longamque dedit descendere prolem.  
 Tali ortus genere, & proaviti nominis hæres  
 Curtius, ardenti sæpe in certamine victor,  
 Quæsieratque manu decus & virtute tenebat,  
 Exsuperans animi juvenis; sive arduus alto  
 In pugnam se ferret equo, seu Marte pedestri  
 Adversum exciperet collatis ictibus hostem.  
 Huic pater ætheream superi converfor Olympi  
 Immittit subito mentem, referatque latentes  
 Fatorum ambages, ipsumque in funera posci  
 Submonet, & dubiæ quæ sit via certa salutis.  
 Ille ardet, largosque alti bibit ætheris ignes,  
 Divinum spirans: nec jam mortalia cordi.  
 In patriam quippe & pietas, & funeris atri  
 Exequiæ laudum æternæ, multusque suorum

Urget

Urget amor: tandem, velut acri concitus œstro,  
 Irrumpit medios testatus numina Divûm.  
 Nec mora, pro patriâ infernis se destinat aris:  
 Arrectæ mentes cunctorum, omnisque recessit  
 Pectoribus timor, & cæcis lux reddita rebus  
 Magnanimi juvenis fato inferiisque propinquis,  
 Curritur, effusique fenes & vulgus inundant  
 Agglomerantque foro; & si qua despectus in unum est  
 Ædesque, tumulosque, & culmina Pallantea,  
 Tarpeiamque arcem, & Divûm fastigia latè  
 Conventu cumulant pleno, addensantque coronas.  
 Jamque aderat longâ senior cùm veste sacerdos  
 Funereis mœrens vittis, sacrumque litabat  
 Plutoni Stygio: ast alii nigrosque juvencos,  
 Et furvas jugulant pecudes: ipse ordine vota  
 Nuncupat, & juvenem spargit fluvialibus undis,  
 Voce ciens triplicemque Hecaten, magnamque parentem,  
 Tergeminosque Deos; tum numina dira precatur  
 Eumenidum, populoque gravem depellit Erinnyum.  
 Stant taciti circùm, linguisque silentibus unum,  
 Unum omnes fixi obtutu, immotique tuentur  
 Armatum extantem, atque æratâ luce coruscum.  
 Ille autem (nam fata premunt, longasque recusant  
 Ferre moras) coram vacuum progressus in æquor,  
 Ut stetit abruptæ titubato in margine ripæ  
 Pallidus, inque atram dejecit lumina noctem,  
 Rettulit os rursus cœlo, sublataque tendens  
 Brachia, in has supplex exsolvit pectora voces.  
 Dii patrii, quorum auspiciis stat maxima Roma,  
 Et Pater omnipotens, & nostri sanguinis auctor  
 Bellator Mavors, Vulcane, paterque Quirine,  
 Vestalesque foci, Janique biverticis ora,

Audite



Audite hæc, sanctumque precanti avertite numen,  
 Siqua (nefas) virtutem odit crudelis Erinnyis,  
 Ad pœnamque vocat: fraus hic communis abesto,  
 Unus ego haud segnis dextrâ, nec frigidus armis  
 Hanc animam, inferno umbrarum regi, & Stygiis Diis  
 Devoveo, lucemque volens, aurasque relinquo:  
 Tantùm dura mei fugiant discrimina cives:  
 Hanc spem, quam patriæ incolumis dant fata, sepulchri  
 Et mortis comitem posco ac mecum ire sub umbras.  
 Tum vos infensi manes, queis Romula virtus  
 Displicet, invidiamque movent ingentia facta,  
 In me omnes conferte iras, & quicquid acerbum est,  
 Vertite ab excidio patriæ, exitioque meorum:  
 Ipse luam. Simul hæc dixit, simul astitit olli  
 Conspiciusque auro, & Massyli pelle leonis  
 Acre fremens bellator equus, quo tendere in hostem  
 Primus & obstantes incursum rumpere turmas  
 Suetus erat, subitâque acies turbare procellâ.  
 Hunc ubi terga premens dorsoque exceptus amico  
 Impulit, & notis habilem tremefecit habenis  
 Nil mortale putans, animique interritus heros;  
 Visa hominis major facies, procul ære refulget  
 Sanguineo galea, & flammis rutila arma coruscant.  
 Interea cœlo Superùm Rex magnus ab alto  
 Urbem Dardaniam adspectans, sævæque superbum  
 Cotentorem animum mortis, dabat inclita facti  
 Præmia, secum animo volvens, curamque fovebat:  
 Cum lacrimas promptumque ferens mœsto ore dolorem,  
 Tristis sic medio cœli super axe Quirinus  
 Alloquitur: O cuncta pater qui fata gubernas,  
 Æternumque regis: en quo spectata tuorum  
 Incidit, aut quali damnatur funere virtus.

Non

Non hæc exactis olim speravimus annis,  
Cum sedem hanc terræ regno, externisque triumphis,  
Romanumque tuo sancibas fœdere nomen:  
Atque ante hostili virtutem opponere ferro  
Unum opus & labor unus erat; pretiumque laboris  
Imperium patriæ, aut leti fors clara ferebat.  
Nunc jam quid superest, aut quam fortuna finit spem,  
Si manes rigidos etiam & fera Tartara contra  
Bellandum est? nunc dicta retrò mutata recurrunt  
Fata sibi? aut cœpti piget & sententia versa est?  
Et nunc iste quidem juvenis capite improba rerum  
Detrimenta luit, vivusque immittitur Orco.  
Infcius ullius culpæ. Sic digna rependis  
Præmia virtuti, genitor? hæc gratia prompta est?  
Siquid conceptum est in te facinusve scelusve  
Æneadis generique meo; te verius ipsum  
Tela dare, & septem repetitis ictibus arces  
Fulmine dejicere, ac sedes abolere nepotum.  
Sin autem & castæ sunt res, nec justius ullâ  
Relligione pater coleris sub numine semper  
Roma tuo, purosque tibi meditatur honores,  
Parce tuis, pacemque refer. Sic Romulus orsus,  
Tum pater, æthereo pellit qui nubila vultu,  
Talibus it contra. Nec te dolor iste timentem  
Sollicitet, mea progenies; neve aspera fingas  
Fata tibi, & cœptos animi demitte labores.  
Urbi Romulæ latè debetur, ab ortu  
Quicquid ad occasum rerum jacet, & vaga quicquid  
Tethys obit, refluoque adlatrant æquora ponto:  
Stat fixum hoc, nec fluxa retrò sententia nutat.  
Quin jam aderit, cum tu Romana in sceptrâ videbis  
Hesperiamque omnem, & gentes transire remotas,  
Imperiumque genusque tuum: ne triste querare

Supplicium egregii juvenis: non ille sub umbras  
 Tartareas manesve cadens descendet ad imos.  
 Hunc animum, has mentes, hæc corda excelsa tuorum  
 Esse velis, fretosque sua virtute Quirites  
 Et conferre manum fortunæ, & temnere mortem:  
 Sic etenim via, fidereas quæ ducit ad arces,  
 Et famæ meritum steterit decus. His ubi moestum  
 Leniit omnipotens dictis, gemitumque repressit,  
 Continuo tacitus secum majora volutat.  
 Stant Jovis ad solium geminæ super astra sorores  
 Mente fatæ æternâ, queis cœtu est cura Deorum  
 Adlegisse pios, humanaque necere divis.  
 Harum unam Pietatem alto descendere ab axe  
 Imperat, & Curti manes adistere sacros:  
 Illa Jovi parens, nimbo fulgente per auras  
 Cincta volat, longamque cito dat tramite lucem;  
 Qualis sæpe polo saliens sub nocte serenâ  
 Stella fugit cursus subito trajecta volucres.  
 Et jam Tarpeii supra fastigia templi  
 Astitit, inque arce extremâ delapsa resedit:  
 Cum juveni visa est mentem majoris imago  
 Accendisse Deæ. Juvat ire in funus & omnes  
 Præcipitare moras: sonipes sub pondere sueto  
 Ardet inexpletum exultans; jamque ardua jactat  
 Brachia, jam pede tundit humum hinnitusque canoros  
 Suscitât, & vivos scintillat naribus ignes.  
 Est locus extracto suggestu & molibus extans,  
 Parte fori adversâ celebris, quem nomine noto  
 Rostra vocant; primi unde duces plebisque magistri  
 Affari populum, atque edere scita solebant.  
 Hinc juvenis fræno & ferratis calcibus acrem  
 Egit equum, lora effundens: hinc servidus illum

Impu-

Impulit: attoniti primo motu fremituque  
Dirigere omnes, mens & calor ossibus hæsit.  
Ille rapit medium campi, cursuque citatum  
Quadrupedem vastæ immittens in aperta ruinæ  
Dat se in prærupta, atque ingenti rupe secuta  
Involvensque ruensve specu descendit ab alto.  
Ac velut aërio præceps cum monte revulsum  
Saxum ingens in prona ruit, molesque subactas  
Volvit, & assultu rapido latera obvia rumpit,  
Dant gemitum latèque fragor geminatur in auras:  
Sic tellus, sic præcipiti pulsata ruinâ  
Contremuere fora, & longas referentia voces  
Templa sonant: stetit obtutu stupefactus & amens  
Intento populus circum, immotusque pependit:  
Magnus eques usque attonitis, horrorque feroxque  
Procurfus, cladesque viri suprema moratur  
Ante oculos: etiam arma tonant, etiam auribus ingens  
Insultat fragor, & torpentia pectora pulsat:  
Currentemque diu trepidant, horrentque cadentem.  
Ut primum sonitum, atque umbras discussit inanes  
Reddita mens, coeloque dies oblata sereno est,  
Emotæ extemplo curæ, cunctique reversi  
Ereptum ad juvenem sensus: viridis subit ætas  
Digna Deûm potius veniâ, fatisque secundis,  
Et decor & mores placidi: tum clara recurfant  
Facta animis, tantæque recens pietatis imago,  
Verbaque, supremæque preces; quo funere certus  
Occiderit, patriasque cadens servaverit arces,  
Ultero morte obitâ, & pallentes missus in oras.  
Cum tamen hunc miserum spes desolata parentum,  
Conjugis & charæ fletus, natique vocarent,  
Dilecti ad curam laris antiquosque penates;

Tantum illum patriæ & generi tribuisse suorum,  
 Ut sese exitio & fati communibus unus  
 Traderet. Hæc inter liquentia pectora dulcis  
 Stringere amor, lacrymæque sequi, & crebrescere voces  
 Laudantum, ac fortem miserantum mortis acerbam.  
 Et jam confusam diverso ex agmine murmur  
 Attollit magis, atque magis jam sparsa solutis  
 Turba ruit cuneis; fremitu sonat arduus æther,  
 Ceu quondam in sylvis leni cum flamine primum  
 Offensæ crepitant frondes, & lenta susurrant  
 Murmura: mox valido si turbine fortior Auster  
 Incubuit, stragemque dedit: strepit omne tumultu  
 Confusum nemus, & populata cacumina jactat,  
 Consternitque solum ramis; it stridor ad auras.  
 Jamque patres, primique ducum, lectique senatus  
 Fatorum augurio proceres, quique alta gerebant  
 Imperia, aut sacros ornabant vellere canos,  
 Incessu tacito coeuntis ad ostia terræ  
 Adveniunt, cinguntque lacum: tum cætera circum  
 Turba premit, cœtusque implet stipata profundos.  
 Et nunc hac, rursus hac impulsus fluctuat agmen.  
 Dant fruges tumulo lætas, & munera prima  
 Apponunt: pars incensis altaria flammis  
 Constituunt, peraguntque preces, & ritè sacratos  
 Describunt fines lituo, frontemque, latumque,  
 Ultimamque; & meritos grati testantur honores,  
 Certatim effusi in laudes: hinc nota frequentant  
 Militiæ decora & murales sæpe coronas,  
 Defensumque manu civem sociosque receptos,  
 Indomitumque animi Volscum, vel cominus ense,  
 Eminus aut jaculo atque irarum vindice dextrâ  
 Prostratum; spolia inde cavis astantia tectis:

Ut

Ut non consilio inferior quam fortibus armis  
Sæpe locum infidiis deprenderit ad juga, sæpe  
Inclinatam aciem turbataque signa fuorum  
Acriùs intulerit pugnæ, turmasque morantes  
Vi junctæ virtutis equoque obnixus ab alto  
Impulerit : tu non hostili cæde tepentes  
Sternere agros, non magnanimùm præferre trophæis  
Martia dona ducum, laudis metamque modumque  
Esse tuæ decorumve finis : tu sæva refutas  
Portenta, & Stygium præclarâ morte furorem.  
Te diri stupuere amnes ; te sancta cadentem  
Concilium ad Superùm, cernentis ad omnia cœli  
Extulit & Pietas, & vitæ prodiga virtus.  
Salve certa salus patriæ : tibi præmia mille  
Sydereis collata locis : nec plura mereri  
Fas homini est ; aut si fato quis major eodem  
In terram Deus ille alto demissus Olympo.  
Et tamen humanæ quantum tibi reddere laudes,  
Quantum animi linguæque valent ; non gratia deerit,  
Non amor officiove decus : celebrabere grati  
Voce ævi, generisque tui servator & urbis.  
Nec minus interea lacus hic, quem funere magno  
Implésti moriens, facti immortalis honore  
Perpetuum sanctumque tuum & memorabile nomen  
Proferet, æternæque aram virtutis habebit.

P E T R I

## P E T R I B E M B I

## B E N A C U S .

**T**E, Giberte, cano purus dum templa sacerdos

Ingreditur, cupioque tuas attingere laudes:

Sit modo non impar tanto sub pondere, quæ me

Musa vocat: nec eam ventura redarguat ætas,

Obscuræ carmen claro tibi condere famæ,

Et magnum brevibus voluisse intexere chartis.

Nuntius ut vitreas Benaci vectus ad undas,

Muscofo subter pendentia fornice tecta,

Atque Dei lætis implevit vocibus aures,

Advenisse diem, quo formosissima terræ

Aufoniæ Verona sacris, templisque regendis

Demissum cœlo, & magnis virtutibus auctum

Acciperet juvenem, qualem vix ipsa petebat :

Forte pater gelido in luco, silvaque virenti,

Fontibus, & rivis, cubito subnixus & urnæ

Jura dabat: cui carbasei mollissima fili

Stamina pingebant fucō, vestemque parabant

Cæruleam, innumeræ nodis ac retibus aureis

Collectos comptæ crines, tempusque decorum,

Incinctæque auro furasque sinusque fluentes,

Vestibulo in thalami natæ, niveosque lacertos

Nudabant operi, quo pulchro ex agmine Sirme

Dœcta lyræ digitis percurrere fila canebat

Carmen, quod totidem numeris Gardeque, Saloque

Reddebant: Sol æstivos circumvagus orbes

Axe terens medio currum librabat Olympo.

Ergo

Ergo avidis allata Deus postquam auribus hausit,  
 Promissosque olim fati sibi lætus honores  
 Agnovit, tangens hærentem uligine barbam,  
 Demulcensque manu, jussit vicina vocari  
 Flumina: dein sese placidum convexa sub alta  
 Speluncæ senior solitæque in sede recepit.  
 Postera jam cælo stellas noctemque fugarat,  
 Lustrabatque dies multo terrasque fretumque  
 Lumine cum nitidis venit Ticinus in undis,  
 Piscosusque altas involvens Lambrus arenas.  
 Venit & indigenis fecundans Ollius arva  
 Deductus rivis, & cultos Abdua campos  
 Amne secans, fulvo ripasque interlitus auro.  
 Nec rapidus fluvioque Athesis spectandus amœno  
 Defuit, aut Patavi circumque intraque pererrans  
 Moenia Meduacus triplici circumdata muro;  
 Moenia, quæ positor pugnas & bella perosus  
 Musarum Iliacus studiis Phœboque sacrauit:  
 Populiferve Padus genitor, qui flumina centum  
 Ipse suo accipiens vasto latissimus alveo,  
 Ubera terrarum cursu per pinguia lapsus  
 Portat, seque mari septenis annibus infert.  
 Quos tunc atque alios velatus arundine crinem  
 Mintius excepit venientes limine primo  
 Obvius, atque in tecta parentis faxea duxit,  
 Lætifico cordis non celans gaudia vultu.  
 Qui simul ac udos posuere sedilibus artus,  
 Cristallo rigidâ fultis, & iaspide glaucâ,  
 Continuo Nymphæ mensas ante ora Deorum  
 Speluncæ in medio niveis mantilibus aptè  
 Consternunt, dapibusque onerant, Dictæaque plena  
 Vina ferunt referuntque manu, calicesque madentes



## P E T R I B E M B I

## B E N A C U S .

**T**E, Giberte, cano purus dum templa sacerdos  
 Ingreditur, cupioque tuas attingere laudes:  
 Sit modo non impar tanto sub pondere, quæ me  
 Musa vocat: nec eam ventura redarguat ætas,  
 Obscuræ carmen claro tibi condere famæ,  
 Et magnum brevibus voluisse intexere chartis.  
 Nuntius ut vitreas Benaci vectus ad undas,  
 Muscoso subter pendentia fornice tecta,  
 Atque Dei lætis implevit vocibus aures,  
 Advenisse diem, quo formosissima terræ  
 Ausonizæ Verona sacris, templisque regendis  
 Demissum cœlo, & magnis virtutibus auctum  
 Acciperet juvenem, qualem vix ipsa petebat:  
 Forte pater gelido in luco, silvaque virenti,  
 Fontibus, & rivis, cubito subnixus & urnæ  
 Jura dabat: cui carbasei mollissima fili  
 Stamina pingebant fucò, vestemque parabant  
 Cæruleam, innumeræ nodis ac retibus aureis  
 Collectos comptæ crines, tempusque decorum,  
 Incinctæque auro furasque sinusque fluentes,  
 Vestibulo in thalami natæ, niveosque lacertos  
 Nudabant operi, quo pulchro ex agmine Sirme  
 Docta lyræ digitis percurrere fila canebat  
 Carmen, quod totidem numeris Gardeque, Saloque  
 Reddebant: Sol æstivos circumvagus orbis  
 Axe terens medio currum librabat Olympo.

Ergo

Ergo avidis allata Deus postquam auribus haufit,  
 Promiffosque olim fatiſ ſibi lætus honores  
 Agnovit, tangens hærentem uligine barbam,  
 Demulcensque manu, juffit vicina vocari  
 Flumina: dein ſefe placidum convexa ſub alta  
 Speluncæ ſenior ſolitæque in ſede recepit.  
 Poſtera jam cælo ſtellas noctemque fugârat,  
 Luſtrabatque dies multo terrasque fretumque  
 Lumine cum nitidis venit Ticinus in undis,  
 Piſcoſuſque altas involvens Lambrus arenas.  
 Venit & indigenis fœcundans Ollius arva  
 Deductus rivis, & cultos Abdua campos  
 Amne ſecans, fulvo ripasque interlitus auro.  
 Nec rapidus fluvioque Atheſis ſpectandus amœno  
 Deſuit, aut Patavi circumque Intraque pererrans  
 Mœnia Meduacus triplici circumdata muro;  
 Mœnia, quæ poſitor pugnas & bella perofus  
 Muſarum Iliacus ſtudiis Phœboque ſacravit:  
 Populiferve Padus genitor, qui flumina centum  
 Ipſe ſuo accipiens vaſto latiffimus alveo,  
 Ubra terrarum curſu per pingua lapſus  
 Portat, ſeque mari ſeptenis amnibus infert.  
 Quos tunc atque alios velatus arundine crinem  
 Mintius excepit venientes limine primo  
 Obvius, atque in tecta parentis faxea duxit,  
 Lætifico cordis non celans gaudia vultu.  
 Qui ſimul ac udos poſuere ſedilibus artus,  
 Criſtallo rigidâ fultis, & iaſpide glaucâ,  
 Continuo Nymphæ mênſas ante ora Deorum  
 Speluncæ in medio niveis mantilibus aptè  
 Conſternunt, dapibuſque onerant, Diçtæaque plenâ  
 Vina ferunt referuntque manu, calicesque madentes

Præcingunt myrto, atque implexis flore coronis,  
 Purpureoque rosæ, Medorumque arboris albo:  
 Medorum quondam, sed quæ nunc plurima lætas  
 Benaci vestit ripas, non illa caduca  
 Fronde virens, suavique auras permulcet odore:  
 Post ubi prima quies epulis, Deus ipse magister  
 Undisonique lacus domitor, præsentia circum  
 Numina respiciens, his vocibus ora resolvit:  
 Quod votis toties nequidquam optavimus unum  
 Vobiscum Divi, fausto modo fidere luces,  
 Vertentes luces fatorum orbisque ministræ,  
 Advexere: vehit pleno bona copia cornu,  
 Largaque pomiferâ prætendit munera dextrâ.  
 Quare vos primo longævi à femine mundi  
 In mare fluctifonum prono labentia cursu,  
 Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.  
 Flos etenim juvenum, longâ formidine sæcla  
 Perdita qui solvat, quique agglomerata malorum  
 Agmina tot bellicue faces, quas vidimus ipsi,  
 Bactra ultra, Thylemque ultra, Scythiamque releget,  
 Quique urbes, quique arva colat, Jove missus ab ipso est.  
 Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.  
 Hic primum miseris viduatas civibus urbes  
 Accipiens, vacuosque suis cultoribus agros,  
 Replebit numerum exæquans augensque priorem:  
 Oppidaque ingenti multum quassata ruinâ,  
 Prostratisque solo latè mœrentia tectis,  
 Restituet, pulchroque dabit splendescere vultu.  
 Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.  
 Magno namque pii juvenis devinctus amore  
 Etruscus pater, excelsas qui Tibridis arces  
 Possidet, & nutu Romanum temperat orbem,

Illius

Illius eximias virtutes, claraque docti  
 Ingenii monumenta, & sancti pectoris artes,  
 Suspiciens, obitosque invicto corde labores,  
 Hoc dedit, has illi rerum permisit habenas.  
 Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.  
 Quid memorem ut tener & primæ sub flore juventæ  
 Ingentem ad ludum properaverit auspicius Diis:  
 Indole dein quantâ nixus, quam fortibus ausis  
 Robore ceu firmo ventorum flamina quercus,  
 Aut scopulus fluctus saxo excurrente marinos,  
 Sic undas rerum excipiens, & plena pericli  
 Multa diu casus victos superaverit omnes?  
 Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.  
 Sæpe illum abruptis in vallibus Apennini  
 Versantem, luctantis equi cùm frangeret armos,  
 Præcipitanque viam obstrueret torrentibus imber,  
 Pœninas vel per fauces, tractusque volantem  
 Aërios, summo miseratæ è vertice Nymphæ  
 Optavere graves cohiberent nubila nimbos.  
 Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.  
 Sæpe illi ad magnos reges mandata ferenti  
 Astitit unigena proles Jovis, ut bona mater:  
 Ut mater bona, quæ caro timet omnia nato,  
 Et cupit in duros comitem sese addere casus.  
 Tum pueri mirata oculos & verba loquentis:  
 Ipse meas artes jam nunc tibi, dixit, habeto.  
 Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.  
 Testis adest triplices magnas discreta per oras,  
 Fluviorum nemorumque ferax, pecudumque virûmque  
 Gallia, non auri, pictæ non indiga vestis:  
 Diversosque jugo ad ventos, interque cadentem  
 Surgentemque diem longo protenta Pyrene,

Altis quæ geminas despectat frontibus undas.  
 Tum dictis factisque potens illa inelyta bello,  
 Lataque, & in latas Hispania diffusa terras.  
 Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.  
 Hæ nam te insolita orantem, aversaſque suorum  
 Fleſcentem regum mentes, Giberte, videbant,  
 Acceptos conversa sonos cum vocis imago  
 Redderet, & dociles iterarent nomina ripæ.  
 Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.  
 Testis & Adriacus, parvo qui flumine Rhenus  
 Lambit humum: testis Thuscis haud maximus undis  
 Major prole virum, & divinos Arnus honores  
 Promeritus, cœlum Divisque recentibus augens,  
 Pulchros qui colles, pulchramque interfecat urbem:  
 Gens quorum imperio dispar, nec legibus æqua,  
 Illius in studiis jamdudum & amore quiescit.  
 Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.  
 Tu vero, tu, Roma, tui genus ecquid alumni,  
 Jam non curarum, non commemorare laborum  
 Una potes? tolle egregium per sæcula nomen,  
 Tolle decus, daque alta virum volitare per ora.  
 Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.  
 Quantum Trinacriæ vertex se sustulit Ætnæ,  
 Aut cinctus stellis Atlas, aut Caucasus ingens,  
 Tantum clara virum Romæ se nomina tollunt.  
 Illa novos tibi Cœlestum concessit honores  
 Antiquis cumulans, at tu præsentia sæcla  
 Firmabis, veterumque abolebis damna malorum.  
 Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.  
 Ecce tibi læto vestit se gramine tellus,  
 Et tibi sylva comas nutrit; tibi pabula surgunt;  
 Fœcundus mites implet tibi pampinus uvas:

Palladis

Palladis & nigrum tibi ducit bacca colorem :  
 Tum spisso quem rete trahant vel arundine longâ  
 Flexivagus nostris crescit tibi piscis in undis.  
 Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.  
 Accipe quæ tibi Parnassi de colle sorores  
 Dona ferunt, sacram lauri de fronde coronam,  
 Et plectrum & citharam, scriptasque ab Apolline chartas,  
 Æternum quas ediscant, celebrentque minores.  
 Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.  
 Accipe quæ calathis porgunt tibi munera Nymphæ,  
 Luteolum calthæ florem, casiamque virentem,  
 Liliaque, violasque, & purpuros hyacinthos.  
 Haud porxisse prius poterant: bella, horrida bella  
 Pertulimus, dulces & deformavimus agros.  
 Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.  
 Ut cum lethiferos accendit Syrius ignes,  
 Rivus aquas, hortus flores, pratum invidet herbas;  
 Pallet humi nullo facies depicta colore;  
 Ipse suos sitiens foetus non educat arbos;  
 Intereunt fruges siliquâ labente perustæ;  
 Arva colit nemo ficcis arentia glebis,  
 Vomeris & durum non admittentia dentem;  
 Cuncta jacent nimio cœli contusa calore:  
 Tristia sic nostris aderant prius omnia terris.  
 Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.  
 At postquam lætos effudit Juppiter imbres,  
 Rivus aquas, hortus flores, pratum explicat herbas;  
 Ipsa viret tellus; ripæ, collesque nitescunt;  
 Dant segetem sulci; nemus altas sufficit unibras;  
 Poma suos curvant crescentia pondere ramos;  
 Ruris turba Deam venerata ligonibus udam  
 Vertit humum, & putres exercet vomere campos;

## 198 HIER. FRACASTORII

Cuncta vigent cœli fœcundis roribus aucta :  
 Nostras sic jucunda manent nunc omnia terras.  
 Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.  
 At vos in septem discreti culmina montes,  
 Tuque pater Tiberine, tuum qui flumen Olympo  
 Devehis, hunc olim vobis multosque per annos  
 Sit fatis ô tenuisse, meam mihi jam date partem :  
 Ipse dabo multis, ne sint mea gaudia sola ;  
 Et tandem nostris juvenem concedite terris.

## HIERONYMI FRACASTORII.

A D

JOAN. BAPTISTAM TURRIANUM  
VERONENSEM.

**B**Atte, animos quando tristes curasque levare  
 Musa potest, ego nunc sortem, casusque supremos  
 Ipse meos tristi solabor carmine tecum,  
 Et tecum dulces natos, quos funus acerbum  
 Abstulit, æternâ & pariter caligine textit,  
 Conquerar : ut saltem tenebris & nocte perenni,  
 Quantum opis est nostræ, miserorum nomina demam.  
 Quæ potui, dum vita illos, auræque fovebant,  
 Exhibui genitorque, gubernatorque duorum  
 Infelix, primas alter vix fingere voces,  
 Alter adhuc teneris jam tum decerpere ab annis  
 Prima rudimenta, atque omen præbere parenti.  
 Quos ego (sed Zephyri spes portavere paternas)  
 Censueram, si fata darent, quum posceret ætas  
 Fortior, ad dulces tecum traducere Musas

Aff-

Assiduos, citharamque humeris suspendere eburnam.  
 Inde ubi jam coelum, ac Solem, fulgentiaque astra,  
 Terramque, & liquidos ignes, æquorque profundum  
 Mirari inciperent, latisque animalia campis,  
 Te monstrante viam, te rerum arcana docente,  
 Mens fuerat dulces Sophiæ deducere ad hortos,  
 Hortos, quos ver perpetuum, quos aura Favonii  
 Semper alit, semper cœlesti nectare pascit.  
 Hic tremulo, & longâ confecto ætate parenti  
 Purpureos legerent flores: senique levamen,  
 Threiciâ canerent citharâ, quæ plurima quondam  
 Audissent te populeâ meditante sub umbrâ,  
 Divino mirantem Athesim dum carmine mulces,  
 Et rerum canis & teneri primordia mundi.

Fortunate senex, si natorum ore referri  
 Fata sinant, ut nata chao antiquissima rerum  
 Materies visi correpta cupidine pulchri  
 Arserit, atque Deum thalamo complexa jugârit  
 Corpora prima: quibus discordia nata hymenæis,  
 Et divisa locis, suprema petiverit ignis  
 Purior, & nitidis vicinus federit astris:  
 Quem juxta per inane amplum se fuderit aër:  
 Ima autem tellus vasto circum obruta ponto  
 Constiterit: quam dudum hinc inde agitantibus undis  
 Substerni late campi, deformiaque arva  
 Paullatim apparere supra, & concrefcere montes  
 Cœperunt, procul & nudas offendere cautes,  
 Mox nemora, & virides undis mirantibus ornos.  
 Montanis tum speluncis, & rupibus altis  
 Exsiluere udæ formoso corpore Nymphæ,  
 In viridi flavos ficcantes littore crines.

O fortunatum nimium, si Numina tantum



Hæc mihi fortassent, si non casura dedissent.  
 Verum aliter Lachesi visum est quo tempore primæ  
 Natorum cospit producere fila duorum :  
 Quippe auram miseris, & dulcem noscere vitam,  
 Spemque sui dederat præbere : alia omnia ventis  
 Tradita, nocte atrâ & tenebris involverat Orci.  
 Non licuit firmos annis, viridesque juventâ  
 Inspicere, & caræ ad metam deducere vitæ.  
 Nec potui votis, nec ope adjuvisse paternâ  
 Clamantes, frustra que patris suprema petentes  
 Auxilia, & notâ nequidquam voce vocantes.  
 Heu mortem invisam ! quis te mihi, Paulle, Deorum  
 Arripit, & miserum complexibus abstrahit istis ?  
 Tu prior immiti correptus morte parentem  
 Deferis, & dulces auras & lumina linquis.  
 Quod te si tali dederant sub lege futurum  
 Fata mihi, non jam fuerat mœroris abunde ?  
 Non gemitus ? quid me è tam multis patribus unum,  
 Coelicœ, lacrimisque novis, & morte recenti  
 Opprimitis, caroque etiam spoliatis Iulo ?  
 Heu miserande puer, quanto plena omnia luctu  
 Liquisti abscedens ! quem non vesana Deorum  
 Incusavit inops, quum te complexa jacentem  
 Aspiceret laniata comas & pectora mater ?  
 Ah misera, ah male fausta parens, quid numina fletu  
 Sollicitas ? jacet ille, velut succifus aratro  
 Flos tener, & frustra non audit tanta gementem.  
 Ah misera, ah quid sublatum complexa moraris ?  
 Ille tuus non jam est. Vos illam in funere, matres,  
 Collapsam accipite, exanimemque reponite tectis.  
 At vos, infantes animæ, carissîma nuper  
 Pignora (quod misero superest optare parenti)

Semper

Semper aveto mei, ut licuit, semperque valetis.  
 Seu dulces Elysiūm functos, umbraeque tenebant  
 Sanctorum nemorum, pura seu sidera caelo,  
 Ipse ego vos semper lacrimis, vos carmine tristi  
 Prosequar, & vestris persolvam iusta sepulchris:  
 Donec me vobis tenuem conjunxerit umbram  
 Summa dies, natis aequat quae sola parentes.

Interea cursu numeris, Musaeque levemus,  
 Batte, animos: quando rerum mortalis origo est,  
 Scilicet & quondam veniet labentibus annis  
 Illa dies, quum jam curvo sub vomere taurus  
 Desudet, terramque gravis profcindat arator,  
 Nunc ubi caeruleae rostris spumantibus undae  
 Sulcantur, verruntque citae freta longa carinae.  
 Nec vos, o liquidi fontes, aeterna manebunt  
 Saecula, se tanto quamvis pater efferat amane  
 Eridanus, tumidusque fluat tot cornibus Ister.  
 Quin etiam aërii montes, mirabile dictu,  
 Taygetus, Syphilusque, jugo & Cymbotus opaco  
 Innumeras post aetates, ac saecula longa,  
 Senferunt seniumque suam, supremaque fata;  
 Ex quo materies thalamos, primosque hymenaeos,  
 Atque elementa novus sensit discordia mundus.

## V E R, A D E U N D E M.

**J**Am veniet ver purpureum, juvenisque revertens  
 Annus aget Zephyros, & caelo desuper alto  
 Deducet pleno genitalia semina cornu:  
 Unde hominum genus, & pecudum, vitaeque natantum,  
 Et pictae volucres, & amantes roscida plantae

In

In Venerem cæco æterni rapiuntur amore.  
 Gaudete, ô quicumque bonum speratis, agrestes,  
 Quorum amor est sobolis, studiumque nepotibus arva  
 Incolere, & parvas ulmis attollere vites:  
 Annus io, novus annus adest: mutatur & ætas,  
 Et meliora novo nascuntur sæcula Mundo.  
 Bella pater procul & diras Saturnus Erinnas  
 Arcebit caro è Latio, ac sub Tartara mittet.  
 Tum lethum, & cæcus furor, & vesana cupido  
 Perpetuis extra terras religata catenis  
 Perfolvent pœnas scelerum: at Pax alta per omnem  
 Italiam magno populos sub Cæsare viset.  
 Ille autem insignis spoliis, & mille trophæis  
 Instituet festos alta ad Capitolia ludos.  
 Stabit onusta ingens Tarpeii ad limina templi  
 Quercus honore sacra, & prænuntia temporis aurei.  
 Tum vescæ glandes, tum terrâ sponte ferente  
 Omnia comparibus disjunget colla juvencis  
 Agricola, & rudibus mirabitur hordea fulcis  
 Sponte adolere suâ, & nullo frumenta colono  
 Undantem lætis segetem flavescere campis.  
 Noctibus in sylvas, & mollia prata ferenis  
 Ætherio dulcem commixtum nectare rorem  
 Sudabit cœlum; tenerâ qui lectus ab herbâ  
 Mortales saturet mensâ dapibusque Deorum.  
 Salve, magne Tybri, & vos, nate Tybride Nymphæ,  
 Tuque, senex pater Eridane, & qui flumine Tusco,  
 Benace, in nostro placidus perlaberis agro.  
 Tuque, Athesis, cunctique amnes salvete Latini,  
 Diique omnes magnæ Hesperix, qui sæcula soli  
 Aurea Saturni primo meministis ab ævo:  
 Quum sepes vel limes adhuc communibus agris

Non

Non foret, aut ulli variarent jugera sulci;  
Sponte suâ sed terra ferax daret omnia, & ipsæ  
Præberent dulci victum de robore glandes.

## A D D A N I E L E M R H A I N E R I U M

*Veronæ Præfectum, Senatorem amplissimum.*

**R** Haineri venerande, uno quo sospite, nondum  
Justitia, & virtus terris antiqua recessit,  
Multa quidem monumenta tuis sub fascibus Urbis,  
Multa cadunt antiqua piorum & templa Deorum,  
Et Bromii vites, & amicæ Pacis olivæ.  
Verum hæc ex Urbis re dilabuntur, & ipsi  
Ultro etiam sua tecta volunt procumbere Divi.  
Ah, saltem antiquo medicorum parcere ritu  
Fasque, & fuetus amor pietatis & inclyta virtus  
Magna tui valeant: valeant hoc more vetusto,  
Quo nostri vixere atavi, vixere parentes,  
Te duce venturi longum superare nepotes.  
Sanctior hic templis, hic Divum est sanctior aris,  
Quem neque tempus edax potuit, nec sæcula tot jam,  
Non belli rabies, non ipsum infringere ferrum,  
Tantum est justitiam violari, & fœdera rumpi.  
Scilicet & sacra est medicina, vetusque Deorum  
Inventum, & sacri medici, quibus auctor Apollo:  
Qui revocare animas jam caligantibus Orci  
Faucibus impositas ad caræ munera vitæ,  
Æthereosque haustus, & dulcia lumina possunt:  
Qui genus innocuum, vitæque ad publica nati  
Commoda, divinas tantum didicere per artes  
Exercere ævum, atque humanæ præesse saluti.

Hos

Hos æquum est te præcipue, longeque tueri,  
 Rhaineri, ante alios, idem cui cessit Apollo  
 Ipse suas artes, & munera nobilis otii:  
 Quemque domos Divûm docuit, perque omnia duxit  
 Sidera: quem Graio insignem Latioque cothurno  
 Secretas dedit Aonidum percurrere silvas,  
 Et calamos citharamque humeris suspendit eburnam.  
 Idem te dulces Sophiæ deduxit ad hortos,  
 Hortos, quos ver perpetuum, quos aura Favonii  
 Semper alit, semper coelesti nectare pascit.  
 Salve, magne parens, qui tot virtutibus auctus  
 Urbem justitia, & Divis in pace secundis  
 Egregiam moderare, Athesis qua flumine pulchro  
 Labitur, & placido fecat arva virentia cursu.

Tu quoque, magna virûm genitrix, urbs inclyta, *salve*  
 Cura Deûm, Verona: tui cessere labores,  
 Ærumnæque graves, atque horrida Martis imago,  
 Sanguinis & vesana sitis, & tristis Erinnyis.  
 Barbara jam cessit rabies, & in Alpibus atrox  
 Sævitiâ miles, gelidumque exercet ad Albim.  
 Jam duros nimium servitus & fera iussa  
 Desuemus perferre, ullos non jam urbe Tyrannos  
 Conspicimus, sed te, Rhaineri maxime, sed te,  
 Magne pater, uno tandem quo sospite nobis  
 Jam bona Libertas rediit, Pacemque per agros  
 Læta Ceres, Bacchique chorus comitantur ovantes.  
 Gaudete ô quicumque boni speratis agrestes,  
 Quorum amor est sobolis, studiumque nepotibus arva  
 Incolere, & parvas ulmis attollere vites.  
 Tempus io, nunc tempus adest, quo sæcula Parcæ  
 Aurea nent, tandem quæ nunc te Præfide læta  
 Incipiunt: sed erunt nobis tunc maxima, quum te

Infig-

Insignem scepro Venetûm, sanctâque tiarâ  
 Regna salutabunt terris diffusa, tuumque,  
 Qua sol exoriens visit, qua deserit orbem  
 Occiduus, latè clarum feret Hadria nomen.

AD JOAN. MATH. GIBERTUM,

*Episcopum Veronensem.*

**I**LLE tuus, Giberte, sacras qui in montibus aras  
 Melfineis tibi constituit, qui teque, tuumque  
 Per nemus omne canit, perque omnia littora nomen,  
 Hæc enata suis mittit tibi poma sub hortis  
 Aurea, quæ quondam Medorum è finibus Atlas  
 Transtulit, & magno servabat tuta dracone:  
 Mox victor sacra expolians pomaria Perseus,  
 Dum levibus nostrum talaribus aëra tranat,  
 Donavit Charitæ Benaci ad flumina Nymphæ.  
 Insuper hos, Giberte, tibi dat munera pisces  
 Qui quondam Etrusci nautæ, nostrâque fuere  
 Effigie, nunc Benaci sub gurgite nantes  
 Cærula converrunt sinuatis æquora caudis.  
 Quod si forte juvat tanti miracula facti,  
 Atque hominum quondam versas audire figuras,  
 Ipse edam, Saloi quæ quondam ad littora Battus,  
 Battus amor Dryadum cecinit, mihi rettulit Ægon.  
 Forte senex Cretæ patriis Saturnus ab oris  
 Ab Jove depulsus, regnum, sedesque quietas  
 Quærebat Latio in magno, fataliaque arva:  
 Jamque diem medio Sol inclinabat ab axe,  
 Quum fessus, longâque viâ ficcatus, & æstu,  
 Ad vada Benaci viridi prospectat in herbâ

Vescen-

Vescentes nautas, & puri grandia Bacchi  
 Pocula miscentes: placido quos ore salutans,  
 Ecquis, ait, vestrûm, pueri, succurrit egenti,  
 Desefloque feni? quis pocula parva ministrat,  
 Extinguitque sitim? poscenti illudere nautæ,  
 Et ridere senem, quis enim præsentibus undis  
 Possit habere sitim? en flumine largius illo  
 Ebiberis, gelidâque æstum solabere lymphâ.  
 Illusus Deus immixtis in flumina palmis  
 Haurit aquas pronusque bibit: tum versus ad illos,  
 Quo tamen è pretio, pueri, ducetis ad illas  
 Remigio cautes, qui fluctibus undique circum  
 Clauduntur, mediisque jacet parva insula in undis;  
 Ostenditque locum: pretium gens impia iniquum  
 Postulat, at pactus senior tamen omnia firmat,  
 Adjuratque Deos testes, scanditque phaselum.  
 Illi autem, dum nave citâ liquida æquora sulcant,  
 Ignari quisnam fedeat Deus, Eja age nobis  
 Fare senex, quonam latebras pro crimine quæris?  
 Anne fugam subrepto auro, dominoque relicto  
 In loca tuta paras? sed te tua fata sequuntur,  
 Demens, quem nullæ poterunt servare latebræ.  
 Nomine Carpus erat, qui tam temeraria verba  
 Dixerat, ingeminant comites, aurumque reposcunt,  
 Proferri subreptum aurum: ni proferat, omne  
 Vi rapiant, pulsumque rate in media æquora turbent:  
 Quos placidus dictis senior demulcet amicis.  
 Etrusci nautæ, quæ nunc mens impia suadet  
 Nec servare fidem vos, nec meminisse Deorum?  
 Dicenti jam vis, jam dextra infertur. At ille,  
 Qui tandem agnosci posset Deus, Impia, dixit,  
 Gens inimica Deûm, dabitur, quod poscitis, aurum,

Hoc imo sub fonte aurum pascetis avari.  
Dixerat. Ast illis veniam poscentibus & vox  
Deficit, & jam se cernunt mutescere, & ora  
In rictum latè patulum producta dehiscunt:  
In pinnas abiere manus, vestisque rigescit  
In squammas, caudamque pedes sinuantur in imam.  
Qui fuerat subitâ obductus formidine, mansit  
Pallidus ore color, quanquam livoris iniqui  
Indicium suffusa nigris sint corpora guttis.  
Carpus aquas, primus Numen qui læsit, in amplas  
Se primus dedit, & fundo sub condidit imo.  
Inde alii celeri sese in media æquora saltu  
Præcipitant, vacuumque ratem, & sine remige linquant.  
Jamque Deus super unus erat: subit ipse magistri  
Munus, & adductis pelagi petit ultima ripis.  
Expositus ripâ placidas conversus ad undas,  
Ecquid io, Nymphæ Benacides, ista superstit  
Navis, & hunc amnem sacrum male fausta carina,  
Et vestras sulcabit aquas? en certe ita & hujus  
Criminis hoc scopulo semper monumenta manebunt.  
Dixit, & in partem rupis conversa pependit  
Cum remis ratis ipsa suis, ubi cernere conchas  
Nunc etiam licet, externo quas littore nautæ  
Collectas miseri mediâ imposuere carinâ.  
Ex illo nunc Benaci per littora nantes,  
Atque auri venas fundo pascuntur in imo,  
Nunc etiam à primo retinentes nomina Carpo.



## AD MARGARITAM VALESIAM

*Navarræ Reginam : Cæsaris Fregosii nomine.*

**D**UM me Cenomanos inter tenet Itala tellus  
 Zefredique arces, mens autem nescia claudi  
 Libera trans gelidas Alpes Rhodanumque vagatur,  
 Trans Ararim, cœlumque beatum, & Gallica semper  
 Regna videt, Regemque suum, tecumque moratur  
 Assidue, versatque tuas sub pectore laudes;  
 Ecce mihi cœlata auro gemmâque nitenti  
 Armipotens, galeâque ferox & Gorgone Pallas  
 Oblata est, seu fors tulerit, seu fata dedere.  
 Continuo visâ ante oculos effulgere imago  
 Magna tui, inque ipsâ micuerunt Pallade vultus,  
 Virtutesque tuæ, moresque, & facta, decusque.  
 Quippe illam è cunctis sic tu mortalibus una  
 Assimilas, sic una refers, in Pallade ut & tu  
 Noscere, & Pallas in te, sive illa Minerva,  
 Seu dici Bellona velit, consensus utrimque  
 Est idem, ora, animi, genius, cognataque virtus.  
 Jure igitur tibi debetur, tibi convenit uni  
 Gemma, aurum, effigiesque Deæ; sive est Polyclети,  
 Sive Myronis opus: placeat tibi munus: imago  
 Est tua; sit gratus cum munere, muneris auctor.

Quod si digressus paullum, & provectus amore  
 Pierio, dum me dulces per grandia Musæ  
 Facta tua, & dum per monumenta heroica ducunt,  
 Ipse tuas memorem laudes, quibus æthera ad altum  
 Scandis, & illa simul referam, per quæ una Minervam

Usque adeo assimilas, juvet auscultare canentem,  
Si vacat, & solitæ sunt te oblectare Camœnæ.

Illâ parente Deo Jove magno, fratre superbit  
Gradivo; tum forte acres in bella phalanges  
Si quando exacuit, late timor occupat urbes,  
Turbati tremuere hostes, ac terga dedere.  
Ipsa hastam quatit, atque horrenti Gorgone sævit.  
Ante Deam diræ effigies, Terrorque, Minæque  
Sanguineæ, & dans terga Pavor, Visque impia, & Iræ,  
Vinclaque, Vindictæque astant, & Mortis imago.  
At verò positis armis, atque ægide dirâ,  
Mollius humanas si demittatur ad artes,  
Manfuetosque usus, tum dulcia carmina cantat,  
Et facilem exercet Musam, aut heroica gesta  
Describit, numerisve orbes metitur & astra.  
Sin autem imperiis & majestatis honore  
Gaudeat, æternæ ramis insignis olivæ  
Aut justas sancit leges, aut jura ministrat,  
Aut arces struit, aut medias regina per urbes  
Incedit, matresque super longè eminent omnes:  
Condensî agglomerant se altis clamoribus Afri,  
Spectatumque ruunt, arasque & publica ponunt  
Templa Deæ: plausu resonat Tritonia ripa.  
Tu pariter magno Gallorum Rege Deoque,  
Ac Jove nata simul, Germano Marte superbis.  
Nam Martem quisnam esse neget, seu fortia nudus  
Brachia, prævalidosque artus, atque Herculis armos  
Ostendit, taurumque uno prostraverit ictu:  
Sive acrem, pictisque armis spectandus & auro,  
Pressit equum, struxitve aciés, & victor in hostes,  
Ceu torrens, signa atque viros sternitque fugatque:  
Fulmineove Jovis tonitrus imitatus, & arma,

210 HIER. FRACASTORII

Tormento, muros, & magnas diruit urbes?  
 Te quoque tantorum comitem, partemque secundam  
 Bellorum, si, quando acies atque arma movenda,  
 Percussæ tremuere urbes, horrorque pavorque  
 It campis, Mars germanam comitatur ovantem:  
 Attoniti spectant populi, gaudentque tueri.  
 Nunc primum, nunc & medium, nunc agmen obire  
 Postremum, nunc pellere equum, nunc tendere in hostem,  
 Turbantem cuneos, & abactis agmina signis.  
 Assuntur comites circum Solertia, & Astus,  
 Et magna audentes Animi, & Tolerantia dura,  
 Curaque, Sedulitasque vigil, Spesque alta, Laborque.  
 Et Divum Favor, & ventis Fortuna secundis;  
 Pone sequens magno graditur Victoria plausu,  
 Nec minus horrenti à bello, partisque triumphis,  
 Si juvat ingenii pacisque incumbere in artes,  
 Nunc lauro redimita comas, imitata sorores,  
 Castalias, plectris numeros & carmina dictas,  
 Carmina nec rerum fato subiecta nec ævo:  
 Nunc magnos dimensa orbes in templa Deorum  
 Attollis animos, patrioque affuescis Olympo:  
 Nunc tua, describis vel regum gesta tuorum,  
 Aut eadem depingis acu; stant curribus, actis  
 Et pater & proavus, cunctique ex ordine Reges,  
 Captivosque hostes, & victos colla Tyrannos:  
 Ante rotas longis ducunt in templa triumphis;  
 Ipsa opus & textum stupet immortale Minerva.  
 Quam vero, ô quam te dicam, quum legibus æquis,  
 Justitiæque feros populos frænasque regisque,  
 Et divina doces jura, & civilia ferre:  
 Aut arces tollis, aut propugnacula condis:  
 Aut matres inter medias, populosque frequentes.

Ince-

Incedis Regiſſa! Favor comitatur euntem,  
 Maieſtaſque, Pudorque, tamen qui Pallada poſſit  
 Armataſ & Martis gradientem in bella decere.  
 It dextrâ Pax læta manu, & prætendit olivam.  
 Applaudunt Sequani, florefque & lilia paſſim  
 Effundunt, gaudentque tuas attollere laudes,  
 Reginamque, Deamque, ſalutiferamque ſalutant,  
 Et pace inſignem, & bello ferroque potentem.  
 Fortunata nimis, magnus quam Cæſar, & omnis  
 Suspicit admirans orbis, cui lumine tellus  
 Felici arridet, totus cui militat æther.  
 Diis quanquam viſum aſpectu tibi debita regna  
 Pauliſper privare tuo, ſeu crimine cives  
 Id meruere aliquo, ſeu te tua fata reſervant  
 Ad majora, viamque tuis virtutibus amplam  
 Expediunt, panduntque. Et enim jam temporâ læta  
 Illa inſtant, quum poſt lacrimas, poſt publicâ vota  
 Te tandem tua regna novis decoratâ trophæis  
 Accipiant, & juſta tibi ſolehnia ſolvant.  
 Jam ludii, feſtique dies, jam ſacrâ parantur:  
 Jam placidus ripâ gaudet Mœniaſcus amœnâ:  
 In templis pueri impubes, mixtæque puellæ  
 Sacra canent, ortuſque tuos ad ſidera tollent:  
 Ut naſcentem ulnis primæ exceperet Camœnæ,  
 Melleque & Aoniſo tetigerunt ora liquore:  
 Ut Charites fovere Deæ, & decus omne dedere:  
 Ut parva in numerum pedibus cunabula Divæ  
 Pellentes, manibus nentes fatalia penſa  
 Grandia concordēs cecinerunt fata Sorores.  
 Stabunt ingentes ſublatis molibus arcus  
 Cœlati geſtiſque tuis, factiſque tuorum.  
 Supra omnes humeris exſtans altaque coronâ

Frater erit, fenosque ferox ex hoste triumphos  
 Ducet ovans ; mox fortunâ congressus iniquâ,  
 Cum durâ bellare Deâ, & decernere dure  
 Cogetur ; longè illa Euris in bellâ vocatis  
 Objicere adversos, & toto nubila cœlo,  
 Et casus, & monstra modis minitancia miris  
 Cernetur : Rex contra animis, & fortibus ausis,  
 Et virtute novâ tandem superare cadentem,  
 Tendentemque manus : tum ferro & compede vinc~~tam~~  
 Protrahere, & campo captivam ducere aperto :  
 Nubila diffugere, & turpi deformia monstra  
 Victa fugâ, vario bello consumpta, fameque,  
 In cæcas latebras obscuraque Tartara condi.  
 O, mihi si tantum juvenili in corpore vitæ,  
 Et tantum det Parca mihi, hæc ventura superstes  
 Ut videam, comiterque tuos, Regina, triumphos :  
 Mox etiam spectare queam, & majora parari,  
 En erit, en unquam illa dies, quum Gallica signa  
 Attolli, & Sequanos compleri milite campos [cos,  
 Conspiciam, fremere arma Rhemos, fremere arma Cadur-  
 Aulercosque, Heduosque, & pictis Lingonas hastis?  
 In mediis Regem secum cataphracta trahentem  
 Agmina, sublimem sanctas procedere ad aras,  
 Per caput & sacram Regum de more coronam  
 Jurantem, & Solymas repetentem debita sceptris  
 Regna suis : te parte aliâ fortes Ituriscos,  
 Andelos, Biturâsque feros in bella moventem ;  
 Consiliis, tantoque operi comitemque, ducemque  
 Ascitam : nec non tanto sub Rege coactam  
 In ferrum ruere Italiam, & socia arma trahentem  
 Signa sequi, mox ô liceat Cœloque secundo,  
 Et præsentem Deo, tot sese addentibus una

Prospicere immensum consterni puppibus æquor,  
 Carmelique procul rupes, & littora Joppes  
 Læta Dei classem & victricia vela vocare,  
 Et trepidum Euphratem, & magni tremere ostia Nili.  
 Tunc ego non alium Martem mihi, Pallada poscam  
 Non aliam mihi: Rex Mavors, tu maxima Pallas  
 Sola eris: ô ego tunc gemino sub numine tutus  
 Per medios hostes videor densosque maniplos  
 Victor agi, videorque meâ sub cuspide fractos  
 Munera magna tibi captivos ducere reges:  
 Nec non & spolia ampla tuis addenda triumphis  
 Jungere, barbaricas vestes, regumque tiaras,  
 Armaque, Mydoniosque arcus, Lyciâsque pharetras,  
 Cernere & exanimem fuso cum milite portas  
 Caucasæas atque Hircanos inquirere saltus  
 Maumethem, & sese extremis occludere Bactris.  
 Hæc, precor, hæc præpere eveniant felicibus astris,  
 Si qua fata dabunt, votis si Juppiter adsit.  
 Interea, sive hæc te cura, & gloria tangit,  
 Seu pacem Europæ miseræ moliris, & arma  
 In Superum sævos hostes avertere tentas,  
 Magnanimo assistente tuis conatibus Anna,  
 Anna spectato meritis, cui summa potestas  
 Tradita, quo rerum moles onerosa recumbit,  
 Quidquid agis, si quando animum convertis ad ipsam  
 Italiam (neque enim teneat non hæc quoque cura)  
 Tunc dicas, Cælo ante alios mihi fidus in illo est,  
 Qui nisi pro Rege invigilans noctesque diesque  
 Illic res Italas & regia munera tractet,  
 Gallica suspiret regna, & tabescat abesse.

Præterea, Dea bellipotens, quæ munera Cæsar  
 Fregosus, parva illa quidem, sed congrua mitto,

Haud ingrata tibi Latii accedat ab oris,  
 Una eadem faciesque tui, faciesque Minervæ.  
 Quinetiam quoties Divam spectare juvabit,  
 Te toties spectare puta. Sed me quoque tanti  
 Si facies, si me tali dignabere honore,  
 Quum memor ipsa mei fueris, tum nomine nostro  
 Longævamque diem, & felicia cuncta precata,  
 Diva, tuum salvere jube super omnia Martem.

AD M. ANTONIUM FLAMINIUM,  
 ET  
 GALEATIUM FLORIMONTIUM.

**D**UM vos fatidicos vates, arcanaque sensa  
 Volvitis, atque animum cœlesti nectare alentes,  
 Alloquitis magnoque Dei consuescitis ori,  
 Felices ducit Giberto, Campense magistro:  
 Quid dicam miserum me agere, & quam ducere vitam  
 Irrequietum animi, & quærentem indagine vanâ  
 Naturam semper fugientem; quæ se ubi paulum  
 Ostendit mihi, mox facies in mille repente,  
 Ceu Proteus, conversa sequentem eludit, & angit  
 Mœrentem seniique horas, cassumque laborem?

Nuper enim tenues species, simulacraque rerum  
 Quæ fluere ex ipsis dicuntur, perque meare  
 Omnia dum sector meditans, tacitusque requiro  
 Avia silvarum & secreta silentia solus,  
 Cognovi tamen his spectris illudier ipsis:  
 Ut sensus feriant nostros, semperque laceffant,  
 Perque fores caulæque animæ ludantque meentque,  
 Ac remeent, ipsamque nec inter somnia linquant.

Ergo

Ergo hęc elufum ftudio, feffumque labore  
 Tandem me miferata fuos abduxit in hortos  
 Mufa mēmōr, rētricumque animum fomno atque quiete  
 Curavit, numerifque & blando carmine fovit.  
 Tum mihi: 'Quo tandem, ô femper mortalia quærens,  
 Hanc colere ufque voles terram? nunquamne relinques  
 Has tenebras, nunquamne in lucem lumina tolles?  
 An nescis, quæcūque hic funt quæ hac nocte teguntur,  
 Omnia res prorsus veras non effe, fed umbras,  
 Aut specula, unde ad nos aliena elucet imago?  
 Terra quidem, & maria alta, atque his circumfluis aer,  
 Et quæ confiftunt ex iis, hæc omnia tenues  
 Sunt umbræ, humanos quæ tanquam fomnia quædam  
 Pertingunt animos, fallaci & imagine ludunt,  
 Nunquam eadem, fluxu femper variata perenni:  
 Sol autem, Lunæque globus, fulgentiaque astra  
 Cetera, funt quamvis meliori prædita vitâ,  
 Et donata ævo immortalis, hæc ipfa tamen funt  
 Æterni specula, in quæ animus, qui eft inde profectus,  
 Infpiciens, patriæ quodam quafi tactus amore,  
 Ardefcit: fed enim, quoniam hic non perftat, & ultra  
 Nefcio quid fequitur fecum, tacitusque requirit,  
 Noffe licet circum hæc ipfum confiftere verum,  
 Non finem: verum effe aliud quid, cujus imago  
 Splendet in iis, quod per feipfum eft, & principium effe  
 Omnibus æternum, ante omnem numerumque diemque:  
 In quo alium Solem, atque aliam splendescere Lunam  
 Aspicias, aliosque orbis, alia astra manere,  
 Terramque, fluviosque alios, atque aëra, & ignem,  
 Et nemora, atque aliis errare animalia filvis;  
 Denique cuncta aliâ cernas vegetantia vitâ.

Ergo, umbras quum jam fatis & specula illa, superque



Spectaris, longâ jamdudum in nocte pererrans,  
 Fas tandem lucem, atque ipsum perquirere verum.  
 Quod quoniam longè sejunctum est corpore ab omni,  
 Nec nexus habet, aut affinem sensibus ullis  
 Naturam, scito esse animum tibi dissociandum  
 Corpore, purgandumque omni contagie receptâ,  
 Terrenâ labe, & mortalis luminis haustu:  
 Quærendæque aliæ silvæ, callesque tenendi  
 Sunt alii, meliorque Deum quæ semita monstrat.  
 Hæc Musa: ô si te comitem dent rura beata  
 Bardolena mihi, ô si quis nos propter amœnum  
 Benacum viridi filvis in littore sistat:  
 Atque oleâ lauroque tegat, detque abdita vatum  
 Sensa, & utramque Dei præcepta evolvere legem.

Rura, oro, Giberte, tuo Benacea vati  
 Da, viridesve oleas, & multâ protege lauro.  
 Ille tuas laudes primum canet, & tua facta  
 Inclita Mæoniis numeris ad sidera tollet.  
 Ut puerum mirata sacro cum Tibride Roma  
 Ante annos meritis titulis & honoribus auxit:  
 Ut res Romana, & sacrorum tradita jussu  
 Pontificum tibi summa in te uno sæpe refedit:  
 Ut septem fremuere novis applausibus arces:  
 Maeste animis, maeste ingenio, tu trajicis æquor  
 Barbaricum, & ferro reges in bella ruentes  
 Alloquiis frænas, & cœptos ore tumultus,  
 Armaque, & hostiles animos, & prælia sedas:  
 Fœdera amicitiasque feris, pacemque reportas  
 Italiæ, populisque Dei; nec te tamen ingens  
 Terra capit, toto juvenem tot plaufibus Orbe  
 Exceptum, tua te pietas, tua maxima virtus  
 In cœlum vehit, & terræ dat spernere honores:

Dat

Dat contemnere opes, unique incumbere Olympo,  
Ac folis Divorum epulis, & nectare pasci.

Hæc ubi perpetuo cantavit carmine, & omnes  
Respondent latè rupes; tunc concitus œstro  
Fatidico, plenusque Deo, Davidicæ vates  
Ipse etiam pater interpres oracula solvit,  
Dignus, qui ante omnes citharam pertractet eburnam,  
Quam quondam Solymæ stupere, arcesque Sionis.

## AD FRANCISCUM TURRIANUM

*Veronensem.*

**T**Urri, si aut mihi villa & lar sit lætior, aut tu  
Ferre domum tenuem possis, parvosque penates  
Urbe procul ruri sese abscondentis amici,  
Quantum ego te his mecum Caphiis in montibus optem,  
Montibus his, ubi, si querulæ nemora alta cicadæ  
Non rumpant, equidem vix norim æstatis adesse  
Tempora, tam leni mitescit Julius aurâ!  
Sed quid, si est angusta domus, dum pulvere & omni  
Munda situ: dum sit nullo turbata tumultu,  
Nescia curarum, nullius conscia culpæ:  
Alta ubi per totum sit pax, & amica Camœnis  
Otia, & integri per magna silentia fomni?  
Quid refert, alius minio laquearia rubra  
Si inspicere, ipse velim fuligine nigra videre?  
Si non dejectum cœlo Jovis igne Typhœa,  
Terrigenasque alios, spirantia signa, videbis  
Admirans opus æterni memorabile Juli;  
At bona Libertas aderit, quæ rura beata

Præci.

## 118 HIER. FRACASTORII

Præcipue insequitur, simplexque incedit & ordo.  
 Hic tibi, si paulo digitus sit inunctior, aut si  
 Potanti insonuit cyathus, vel si pede utroque  
 Non steteris, nemo objiciet, nemoque sedentem  
 Arguet, hoc illi si fons super incubuit crus.  
 Stare, sedere, esse ex libito & potare licebit.  
 Forssan &, mihi quid vitæ, quid sit studiorum,  
 Nosse optas, quo vel dæmnes, vel singula laudes.  
 Mane venit, juvat Auroram Solemque videre  
 Nascentem, qui non alio confurgit Eoo  
 Pulchrior, unde novâ lætantur singula luce,  
 Et silvæ, scopulique, & pictis nubibus ær.  
 Parte aliâ Benacum alto de colle saluto,  
 Centum cui virides invergunt flumina Nymphæ:  
 Ipse sinu magno Genitor magno excipit anne.  
 Tum juvat aut spectare boves mugitibus alta  
 Complentes nemora, aut pulsas in pascua capras.  
 Præ caper it, cui barba jubat, cui cornua pendent  
 Intorta, & grandes olido de corpore setæ.  
 Pone gregem reliquum compellit arundine virgo  
 Upilio, multo armantur cui baltea fuso.  
 Interea natos discentes rustica amare  
 Numina, vicini nemoris gelidam voco in umbram,  
 Qui libros, qui secum horæ solatia portant.  
 Hic legitur, viridique toro, saxove sedetur  
 Glandiferâ sub fago, aut castaneâ hirsutâ.  
 At variæ circum silvis, & frondibus altis  
 Assuetæ ludunt volucres, atque æthera mulcent.  
 Tum densum nemus atque umbræ per gramina læta  
 Jejunas nos invitant spatiarier horas.  
 At fessi hæc inter pueri sitiuntque, dolentque  
 Plus æquo retineri, & jam Musasque, librosque,

Et Pana, & gelidi pinus odere Lycæi.  
 Ergo præcurrere, & aquas, & vina pararunt  
 Lucenti in vitro, & flores sparfere nitentes.  
 Advenio; primas atro lita mora cruore,  
 Aut grossi menfas ineunt, cors cetera, & hortus  
 Sufficit. Interea crebro sonat area pulsu,  
 Increpitat seges, & duri sub Sole coloni  
 Alternis terram feriunt & adorea flagris.  
 Fit clamor, resonat tellus rupeſque propinquæ,  
 Et paleæ ſurſum ſtrepitu jaçantur inanes:  
 Læta Ceres alto ridens deſpectat Olympo.  
 Umbra diem reliquum, ſomnus, librique, viæque  
 Producent, dum ſiccam æſtu Canis excoquit urbem.  
 Verùm, ubi cæruleis ſerus ſeſe extulit undis  
 Veſper, & in cœlum ſurgentia ſidera vexit,  
 Vicinâ è ſpeculâ, magni admirator Olympi,  
 Altâ rupe ſedens natis aſtra omnia monſtro:  
 Accendoque animos patriæ cœleſtis amore.  
 Illi admirari, & cognoſcere ſidera diſcunt;  
 Capheaque, Arctonque, & ſervantem plauſtra Bootem,  
 Hæc ergo præferre urbi, & contemnere magna  
 Si poſſis, quid te teneat, ne tu ocyus ad nos  
 Accurras? etiam has ſedes, hæc limina magnus  
 Naugerus ſubiit, nec dedignatus adire eſt  
 Battus amor Muſarum, ipſum quo tempore primum  
 Pana, atque antiquos cecinit Telluris amores.  
 Hic me etiam deſueta Deæ, medicumque, ſenemque  
 Carmina juſſerunt canere, & ridere beato  
 Illudentem urbem, & maleſani murmura vulgi,  
 Verùm, hæc Gibertus ne viderit ipſe, caveto;  
 Ni forſan Bubulone animum curasque relaxans  
 Propter aquam viridi lætus conſederit herbâ,

Qua

Qua placidus leni descendit Tartarus amne.  
 Scilicet hic numeros non aspernatur, & audit  
 Nos etiam, & nostram, sit quamvis rustica, Musam.  
 Verum, ubi se sibi restituit, mentemque recepit  
 Illam alto intentam cœlo, seu sacra sacerdos  
 Munera obit, totum seu contemplatur Olympum,  
 Tum supra & Musas, & ruris Numina supra est,  
 Vitam agitans Divûm, Diis se cœlestibus æquans.

IN MORTEM  
 ALIPRANDI MADRUTII.

**I**Mpositum quum te pheretro, miserande Madruti,  
 Cerneret illacrimans Cæsar, circumque videret  
 Et spolia, & victis erepta ex hostibus arma,  
 Et modo victrices juxta mœrere phalanges,  
 Quantum, inquit, tua Mors nostris inimica triumphis  
 Lætitiæ decorisque adimit! spes quanta futuri  
 Tecum, Aliprande, cadit! sed non tua vivida virtus,  
 Ut te hunc aspicerem, tua non promiserat ætas:  
 Sed fore, qui Solymis mecum, atque Oriente subactò,  
 Barbaricis regum spoliis & mille trophæis  
 Olim magna tui decorares templa Tridenti.  
 Invidit Mors tanta tibi. Vos nobile corpus  
 Ferte Ducis vestri, juvenes, & reddite matri  
 Exanimi: sed hæc miseræ solatia ferte,  
 Tantum ipsam peperisse virum, qui Cæsaris usque  
 Et comes, & bene gestarum pars maxima rerum,  
 Cæsaris ex animo nullo delebitur ævo.

## AD ALEXANDRUM FARNESIUM

*Cardinalem amplissimum.*

**P**Riscæ virtutis, Romani & sanguinis hæres,  
 Farnesi, quoniam nec Dii munuscula læta  
 Despiciunt hominum, spicas, ac ferta rosarum,  
 Libaque, & exigui devotum thuris honorem:  
 Tu quoque (si mores imitari, ac facta Deorum  
 Præcipue Heroum est) non dedignabere parva  
 Frastrori quæ dona tui natusque, paterque,  
 Perpetui affectûs monumenta ac pignora mittunt.  
 Hos tibi patre Lyco, Scyllâ genitrice gemellos  
 Dat natus sua dona canes. Scyllæ inclita origo  
 A Nilo est: Lycus à magno descendit Araxe:  
 Qui quondam Euganeas transmissi munus ad oras  
 Præstabant cunctis, sive aprum figere morsu  
 Effet opus, rapidum cursu seu vincere cervum.  
 Horum igitur sobolem natus tibi ab ubere matris  
 Nutriit ablatam, & nostris exercuit arvis  
 Venatu assiduo, & vires durante labore,  
 Nostrorum famam nemorum, geminumque ferarum  
 Terrorem, nunc ille tibi quam mittit habendam,  
 Romanis eadem in campis si forte sequetur  
 Gloria, & ignotâ fors in regione juvabit.  
 At genitor, nati cum munere, carmina mittit  
 Hæc tibi: quæ quanquam tristi fugiente senectâ  
 Lætities cantusque, tamen voluere Camœnæ  
 In te unum, dominæque mei, nimiumque potentes,  
 Ut canerem, Musâque canes comitarer amicâ.  
 Ergo tot rerum curis, ac pondere tanto,

Que

## 222 HIER. FRACASTORII

Quo premeris, dum rem Romanam ac publica curas,  
Si quando defessum animum mentemque remittes  
Liber, & ad dulces poteris te vertere Musas;  
Hæc quoque nostra leges; ea si dignabere tanti  
Inter Romanas ut eant spectanda Camœnas.  
Quod si etiam recreare animum corpusque juvabit  
Venatu, & latos saltus ac densa ferarum  
Lustra fatigare, & capreas agitare fugaces,  
Tum canibus miscere tuis, tecumque vocare:  
Ne pigeat nato missos. Hirsutior ille  
Cuncta niger, tantum pedibus & guttore canus;  
Non invitus heronum Tiberonis voce sequetur:  
Ast Athisa (namque hoc alter de flumine nostro  
Nomen habet) nec cursu impar, nec dente minaci  
Segnior, anguineo suffosus terga colore,  
Frontem albo pictus discrimine, pictus & albo  
Cervicem caudamque imam, pectusque, pedisque.  
Addictus lateri nunquam discedet herili;  
Tantus amor domini; nisi forte cupidine prædæ  
Conspectæ impatiens etiam retinacula rampat.  
Hic tu, vel pulchro Calai, vel Tyndaridi alto  
Polluci similis, silvas latratibus omnes  
Complebis, rupesque hominum clamoribus altas,  
Vectus equo Hæmonio, & fulgenti clarus in ostro.  
Attonitæ visu discent nemora inter amare  
Rusticæ Hamadryades; discetis amare, Dianæ  
Insuetæ Comites: voluceri sed concitus ille  
Fertur equo, vestrosque alio deportat amores,  
Insequiturque feras: ah! ne illum accensa cupido  
Venandi excitos silvis impellat in urfos:  
Ne in sævos impellat apros: tibi cura, Dione  
Æneadum genitrix, sit custodire nepotem;

Et

Et juvenem ilicæa defessum sistere in umbrâ.  
 Sat filvis animoque datum est: illum sua Roma  
 Poscit, & expectat lati res publica Mundi.  
 I, spes magna Urbis, rebusque vocantibus adsis:  
 Interea, quando mihi Divus habere semper,  
 Ipse tibi Caphiis sacras in montibus, aras  
 Instituat, qua se summo de vertice collis  
 Tollit, & æquatam Benaci prospicit æquor,  
 Et virides oleâ ripas, patriamque Catulli.  
 Hic tibi solemnemque diem, & renovanda quotannis,  
 Sacra tuo statuam semper de nomine, dicta.  
 Tunc rosâ, tunc violæ, tunc purpurei hyacinthi,  
 Verbenæque senem deceant; tunc texere flores,  
 Et virides cano capiti imposuisse coronam,  
 Lætitiæque diem & multo producere Baccho,  
 Fallentem senium, & curas de corde fugantem.  
 Forsitan & Musarum aliqua, & tibi fautor Apollo  
 Plectra mihi citharamque dabit: Deus ipse canentem  
 Perque tuos annos, perque acta illustria ducet.  
 Infanti ut prima impellens cunabula Pallas  
 Accinuit cantu Graio, cantuque Latino;  
 Scilicet & fari linguâ, assuefecit utrâque.  
 Ut puerum Aonio perfusum labra liquore,  
 Per dulces Musarum hortos & amœna vireta  
 Perduxit, nunc Uranie, nunc Calliopea,  
 Nunc Clio monstrante viam, nullâque Sororum  
 Non donante rosas, & ferta virentia lauro.  
 Tum mores animumque dedit, sensumque senilem,  
 Atque Urbem regere, ac sacro splendere galero.  
 Nec jam Roma capit, sed lata in regna vocatum  
 Ad pacem Europæ, non te maria alta fatigant,  
 Non juga, non toties superatis nubibus Alpes.  
 Te Pœninæ arces, celerem te Norica faxa

Spe



224. HIER. FRACASTORII

Spectarunt rapido montana per ardua cursu,  
 Quantum Sol coeli, tantum telluris obire  
 Matre Deâ comitante, & iter monstrante Nepoti.  
 Nec satis hæc: majora urgent. Germania nuper  
 Grata Deo, nunc ingeniis elata superbis  
 Detrectare jugum Imperii, & se opponere Patrum  
 Sanctorum placitis, & sacris legibus audet:  
 Nec jam Pontificum, nec jam ullos Cæsaribus audit  
 Infelix monitus, sed lævo numine Divum  
 Arma parat: socium Cæsar te poscit in hostes,  
 Pro sceptro Imperii, pro religione Deorum.  
 Tunc primum attonitæ gentes videre Latinæ  
 Te fratremque tuum, patriâ virtute animisque  
 Invicis pariter, res duri & munera belli  
 Tractantes: gemini quales duxisse feruntur  
 Tyndaridæ pulchri Graias in bella cohortes.  
 Tunc primum Romana acies, antiquaque virtus  
 Visa fuit: ducibus tantis Mavortia pubes  
 Magnanimi Æneadæ, memores virtutis avitæ,  
 Bella cient: Italo pleni jam milite campi  
 Denfantur: jam procedunt longò ordine signa  
 Sublata in ventos, lateque inimica minantur.  
 Nec mora; jam summis Romanus miles & arma  
 Alpibus apparent: concussæ motibus illæ  
 Fuderunt gemitus: longe vagus audiit Oenus,  
 Obriguitque gelu: riguerunt flumina Rheni,  
 Et pavidus fluxit demissis cornibus Ister.  
 Romanum ad nomen planxerunt pectora matres,  
 Caraque in Hercynias traxerunt pignora silvas.  
 Sed quo me rapitis Musæ? quid facta revolvo  
 Farnesi? Majora animo jam concipe, teque  
 Impavidum, invictumque, aliis accinge triumphis.

A D

A D E U N D E M .

A L E X . F A R N E S I U M C A R D I N A L E M ,

*Cui Libros de Contagione dedicavit.*

**H**ÆC ego florentes Sophiæ digressus in hortos,  
 Italiæ decus ô Juvenis, Farnesia proles,  
 Condebam, lectasque tibi de more sacrabam  
 Primitias, dum tu magni inter Cæsaris arma,  
 Gallorumque acies, recti pacisque sequester  
 Res miseræ Europæ fractas componis, & omne  
 Robur, & arma Dei Maumethem vertis in hostem,  
 Percurrisque omnem, veluti Sol aureus, Orbem.

Fortunate nimis, quem cunctæ applausibus urbes  
 Excipiunt, pacisque vocant Patremque, Deumque,  
 Inque caput, sacrosque sinus, humerosque, manusque,  
 Et nigras violas & candida lilia jactant :  
 Cui magna Italia, & terrarum maxima Roma  
 Affurgit, festosque dies & sacra nepoti,  
 Solemnesque agitat pompas ; densi undique circum  
 Stant populi, & studio ingenti, & clamore secundo  
 Farnesum genus omne, alto de sanguine ductum  
 Æneadum longâ serie, super æthera tollunt,  
 Patres, atque Duces, & partos mille triumphos :  
 Assensu resonat Tibris, & Tyrrhena resultant  
 Littora ; septeni resonant gaudia colles.

O nimium dilecta Deo, prælataque longe  
 Progenies, sive imperiis & Marte regendæ  
 Sint res Romanæ, seu religionis habenis.  
 Atque equidem è fracto Imperio, Romæque cadente,

VOL. II.

Q

Servatam

Servatam hanc stirpem fato, statuentibus & Diis  
 Crediderim, quo Romanum per sæcula nomen  
 Staret, & ara Dei; quæ primum maxima magnis  
 Auspiciis fundata fuit, sit maxima semper.

Quo me, Paulle, rapis? quo tuque neposque vocatis  
 Laudibus heroum infuetum? tu maximus ille es,  
 Uni cui regni triplicis capite alta tiara

Confurgit, cui summa uni terna illa potestas  
 Terrarum, Cœlique data est, vastique profundi,  
 Illorumque aperire fores, & claudere posse;  
 Qui Petri, Christi que ratem turbante procellâ  
 Ventorum variâ, & remorum parte revulsâ,  
 Tempestatem omnem atque adversos discutis Euros:  
 Nec sanctam sine honore finis, sine remige certo  
 Fluctibus in tantis agitari turbine cymbam;  
 Maeste animo Romano, & maeste ingentibus ausis.

At tibi quas, Juvenis fortunatissime, dignas  
 Attribuam laudes, generis spes altera tanti,  
 Inclite Alexander, puerum quem plurima virtus,  
 Canaque consurgens teneris prudentia in annis,  
 Et spondens majora astris felicibus æther  
 Ad summos meritum ante annos evexit honores,  
 Et sacri gestare dedit decora alta galeri?  
 En quantum de te sacri sibi Pastor ovilis  
 Spondet avus tuus ille, animo quæ gaudia versat!  
 Forsitam & proprio non tam gavivus honore,  
 Quam spe sublatus, tanti & virtute nepotis,  
 Nescio quid majus præfagâ mente volutat:  
 Scilicet & gnarus fatorum, & præsciis ævi  
 Venturi, illa videt felicia tempora, quum tu  
 Sede suâ, folioque Dei, Diis proximus ipsis

Consi-

Confideas, quum Pontifici tibi maximus Orbis  
Gratetur, supplexque tuis ferat oscula plantis.

O mihi postremæ tantum dent Numina vitæ,  
Ipse etiam ut tum te tremulus, confectus & annis  
Aspiciam, sanctosque pedes prostratus adorem!  
O & si possim canere, & tua dicere facta,  
Et ventura novo tecum sæcla aurea mundo!  
Nam video sub te victum longeque fugatum  
Maumethem se Caucafeis includere portis:  
At Pacem viridi redimitam tempora olivâ  
Ire per Europam magnam, atque invisere terras;  
Quam pia Relligio, & junctis Concordia dextris,  
Et Probitas, & Amor recti comitentur euntem.

Salve, magne Tibri: salve & tu, maxima rerum  
Roma parens; salvete arces, collesque Latini;  
Aurea qui primi longo meministis ab ævo  
Sæcula, quum nulli variarent jugera fulci,  
Sponte suâ sed terra ferax daret omnia, & ipsæ  
Præberent dulci victum de robore glandes;  
Et nunc venturis eadem speretis ab annis.

A D J U L I U M I I I . P O N T . M A X .

**M**Axime Divini Pastor gregis, inclite Juli,  
In terris cui summa uni est concessa potestas,  
Sceptra vicesque Dei gerere, & regna infera Ditis,  
Cœlorumque fores aperire & claudere posse:  
Si tu, dum magnæ Italiæ, dum prospicis omni  
Europæ, & vastâ Mundi sub mole laboras,  
Paulisper potes à tantis secedere curis,  
Et potes agrestes pastorum audire Camœnas,

Nunc aures adhibe placidas mihi : namque ego, quæ Pan,  
 Pan magnus cecinit nostros ventura sub annos, fest,  
 Nunc referam, tua, magne Pater, pars maxima quorum  
 Cujus ab auspiciis Parcæ nova sæcula volvunt.

Nec te poeniteat pastorem audire canentem,  
 Quando etiam Admeti tauros formosus Apollo  
 Pavit ad Amphrysi ripas, tenuique cicutâ  
 Non puduit cantare Deum sub tegmine acerno ;  
 Et Veneri dilectus oves ductavit Adonis.

Scilicet & tu etiam post grandia nomina Pastor  
 Diceris, atque hoc in primis cognomine gaudes,  
 Et pecudes curare soles, pecudumque magistrus.  
 Forte ego, dum medio terras Sol excoquit æstu,  
 Ipse Sueffani pastor puer incola campi  
 Ducebam pastas viridi de valle capellas  
 In nemorum secreta, umbras & frigora quærens,  
 Qua placidus cursu descendit in æquora Lyris.

Est lucus, prisca quem sacravere Latini  
 Silvano ; in cujus medio densâ ilice cinctum  
 Est pratium, agrestes ubi Dii persæpe videri  
 Audiri que solent : hic capripedes Satyriscos  
 Pastorumque manum junctis per mutua palmis  
 In gyrum canere, & lætas agitare choreas  
 Invenio admirans ; medius Pan magnus ovantem  
 Ad calamos cantusque regit ducitque coronam.  
 Dumque Deus canit ipse, filet tum cetera pubes.  
 Dum filet ille, alii thiasos, cantusque, sequentes  
 Instaurant, repetuntque Dei postrema canentis.  
 Ingeminat postrema nemus, respondet & Echo.  
 Tum me respiciens mihi sanguine proximus Anthus,  
 Anthus Aquinatis pastor gregis, Huc, puer, inquit,  
 Huc ades, ô Neore, & te his adjuuge choreis :

Aut,

Aut, spectare magis si te juvat, aggere ab illo  
 Prospice, dum saturæ sua ducant otia capræ.  
 Cui ego : Quin potius juvet hoc de cespite vestros  
 Spectantem lusus, molli requiescere in herbâ.  
 Et tum forte Deus buccas sandyce rubentes  
 Inflans, & piceâ frontem præcinctus acutâ,  
 Ad calamos circumfiliens, hæc carmina cantu  
 Fatidico insanus latas fundebat ad auras :

Dicite io, Satyrisci, & io geminate, coloni ;  
 Aurea felici nascuntur sæcula Mundo.

Excipiunt juvenes, iterat nemus, affonat Echo :  
 Aurea felici nascuntur sæcula Mundo.

Tum sequitur Deus : Ante tamen Rex magnus olympi,  
 Bellumque, horribilemque famem, diramque flagellis  
 Armatam Alecto è tenebris & faucibus Orci  
 Inmittet terris, genus ut mortale coercens  
 Castiget, fraudesque hominum, fastusque superbos,  
 Et luxus, & spes miseras, & gaudia vana ;  
 Dum tandem sese atque Deos cognoscere discant.

Mox tantum expectatum illud, quod carmine sacro  
 Tot vates cecinere pii, felicibus astris  
 Adveniet tempus, quo Mons ille arduus, ille  
 Mons ingens, sublime caput super omnia tollat  
 Culmina, sidereum qui vertice tangat olympum ;  
 Quo neque vis ventorum adeat, non fulminis ignes.

Dicite io, Satyrisci, & io geminate, coloni ;  
 Aurea felici nascuntur sæcula Mundo.

Hoc in monte Dei pecudes pascentur & agni,  
 Graminis æterni pingues, & velleris aurei.  
 Exsiliunt & aquæ vivæ, quibus ubera capræ  
 Grandia distendant, distendant ubera vaccæ.  
 Non malus hic serpens, non noxia creverit herba,

Non fentes, sterilisve filix, non frigida taxus,  
 Sed bis lecta seges, sed bis gravis uva racemis;  
 Corticibusque cavæ sudabunt balsama pinus.  
 Hinc magnis præstantem animis, & fortibus ausis,  
 Fortunata nimis Pastorem hæc sæcula habebunt,  
 Qui virtute regat populos, & legibus æqui,  
 Divinas qui pascat oves, & pascua late  
 Extendat, pecudesque ipsas & ovilia servet.  
 Hic primum diram Alecto, & Cocytia monstra  
 Caucaesâ æratâ religabit rupe catenâ.  
 Inde famem miseram è Latio populisque Deorum  
 Pellet in hostiles gentes, & barbara regna.  
 Tum læta Ubertas, segetumque onerata manipulis  
 Alma Ceres Italas spicis venerabitur aras:  
 Quam circum pueri salient, & rustica pubes,  
 Ridentisque jocos incomptaque carmina dicent.  
 At noti Musis Damones & Alphesibœi  
 Vota Patri magno, laudesque, & sacra canentes  
 Æternis illum numeris ad sidera tollent,  
 Heroëmque, Deumque, salutiferumque vocabunt.  
     Dicite io, Satyrisci, & io geminate, coloni;  
     Aurea felici nascuntur sæcula Mundo.  
 Ille animum mox ad pacem & discordia regum  
 Pectora convertet, sanctisque hortatibus iras,  
 Atque odia, & cæcos regnorum & laudis amores,  
 Horrendamque sitim cædis fusique cruoris  
 Sedabit, pelletque feri mala femina belli.  
 Tum Pax alma ferens ramos felicitis olivæ,  
 Atque Amor, & junctis pariter Concordia dextris,  
 Et Genius comitum, & generis Hymenæus amator  
 Invisent late populos, Latiique per arva  
 Lætitiâ risusque ferent: tum iusta cupido

Bello-

Bellorum, pique arma, Dei vertentur in hostes.  
 Jam video augustinis late plena æquora velis  
 Fervere, jam trepidare vagi septem ostia Nilii,  
 Euphratemque, Tygrimque suo se condere in amne.  
 Jam nec Bactra ipsum capiant, nec India tota  
 Maumethem fugientem, ipsum non Caucasus ingens,  
 Non qui tot silvas, juga tot comprehendit Imavus.

Dicite io, Satyrisici, & io geminate, coloni;

Aurea felici nascuntur sæcula Mundo.

Quænam, quæ properant tantæ per cærule puppes  
 Devotæ ad Tiberim, magnæque ad moenia Romæ,  
 Ceu densæ ad nidos latum per inane columbæ?  
 Agnosco gentem innocuam, numerumque beatum,  
 Felices animas, fatis ab origine primâ  
 Dilectas, quæ cælo olim Divisive fruuntur.  
 En jam sanctam Urbem, jam septem in collibus aras  
 Impositas, summique pedes Pastoris adorant.  
 Hos inter, video, & nostri longa æquora fulcant  
 Arcades, Italiamque petunt, fataliaque arva:  
 Arcades; ô soli quondam cantare periti  
 Pastores, quos Justitia è tellure recedens  
 Postremos liquit, nunc rursus læta revisit.  
 O sancti, properate; vocat Deus æthere ab alto:  
 Vos alius jam grex, aliudque expectat ovile.  
 Quin venit illa dies, quum nos quoque Mænala nostra,  
 Arcadiamque omnem, quâ immani à gente repulsi  
 Fugimus in Latium, longq post tempore tandem  
 Visamus, dulcemque auram: ô placidissime Peneu,  
 O Ladon, vos ô gelidi pineta Lycæi,  
 Quando ego per vestros meditabor carmina lucos?  
 Mænalios quando recinet mea tibia versus?  
 Mænalus auritas dantesque oracula quercus



Semper habet, semper doctas ille audit avenas.  
 Concipe Mœnarios, mea tibia, concipe versus.

Talia cantabat memorans Pan magnus; at Anthus  
 Hæc referes, puer, inquit, & hoc tibi munus habeto  
 Nunc parvum: ventura dies majora reservat.  
 Tum mihi fiscellam dono dedit optimus Anthus,  
 Dicere & occasus astrorum, dicere & ortus,  
 Et quid quæque ferat tellus, quæ comoda Baccho,  
 Quæ Cereri, quidnam ventos, quid nunciet imbres;  
 Quæ tempestatum, cœli quæ signa sereni;  
 Denique quæ cunctis natura sit indita rebus:  
 Virtutem in primis, & honestum, quemque docere,  
 Ac vitii ipse expers, aliena notare paratus.  
 Et jam tempus erat pastum deducere capras.

## I N C I D E N S.

**B**Attus amor Dryadum defunctum pastor Iolam  
 Flebat; cum fontes, Alpinaque Numina circum,  
 Sarcaque, pumiceoque sedens Benacus ab antro  
 Mœrentem lacrimis consolabantur obortis:  
 Ille autem nulla accipiens solamina, tantum  
 Desertâ sub rupes, in littoribus Benaci,  
 Talia nequicquam surdas jactabat ad undas:  
 Immites Divi, & crudeles vos quoque Parcæ,  
 Crudeles nimium Parcæ; vos ibitis annes,  
 Aëriæ stabunt rupes: nusquam amplius ipse  
 His terris, nunquam hoc cœlo agnossetur Iolas.  
 Ut cecidit? semel in pratis ut purpureus flos,  
 Quem tetigit vel hiems, vel iniquo Sirius astro.  
 Currite jam, fluviorum undæ, & producite vitam,

Et,

Et, rupes, durate; tamen non alter Iolas  
 Hos pecus in montes, non hæc ad flumina ducet.

INCIDENS,  
 AD JO. BAPT. TURRIANUM  
*Veronensem.*

**I**LLA colum exercens saxo confedit aprico,  
 Læta tepore novo, & liquefactâ Sole pruina;  
 At juxta nemore in magno grex pascitur omnis.

H Y E M S, A D E U N D E M.

**F**Rigidus at filvis Aquilo si increverit, aut si  
 Hiberni pluviis descendant nubibus imbres,  
 Nos habeat domus, & multo lar luceat igne.  
 Upilio ingentem aut fagum, vel scissile robur  
 Sufficiat; tum vos, claro quando igne soletis,  
 Juniperi, suaves circum diffundere odores,  
 Et vos, Palladiæ, flammis imponat, olivæ.  
 Ante focum tibi parvus erit, qui ludat, Iulus,  
 Blanditias ferat, & nondum constantia verba.  
 Ipse legam magni tecum monumenta Maronis.  
 O fortunatos nimium, si fata, quod ævi  
 Nos manet, hanc unâ dederint producere vitam.

INCIDENS, A D E U N D E M.

**Q**Uarum pars brumæ impatiens, & condita terræ,  
 Exspectat ver egelidum, flatusque Favoni:  
 Pars passura hiemem lætâ ab radice virescit,

Emit-

## 234 HIER. FRACASTORII

Emittere comam, siculumque atque altera beta,  
 Atque ari virides, & odoriferæ calaminthæ,  
 Atque olus, atque rumex, & falsi gramina crithmi,  
 Quas inter suaves mollesque aspirat odores,  
 Nunc decus hortorum, menta; at, si vera loquuntur,  
 Nympharum quondam pulcherrima Grajugenarum.  
 Tum juvat & frondes apii, & sisymbria læta,  
 Intubaque, & toto florentes frigore sonchos  
 Incolere, atque hortis Aquilonem arcere nocentem.

## A L I U D.

**N**OX venit, & pastæ redeunt ad tecta capellæ.  
 Præ caper it, cui barba jubat, cui cornua pendent  
 Intorta, & grandes olido de corpore setæ.  
 Pone gregem reliquum compellit arundine-virgo  
 Upilio, multo armantur cui baltea fuso.  
 At mater longæva, igni dum brassica fervet,  
 Mulctra effert, gravidoque recens lac ubere mulget.  
 Rusticus interea pinguis collector olivæ,  
 Interea & validus primâ de nocte bubulcus  
 Advenere domum: congestâ tum focus orno  
 Ingenti, aut fago, vel fragmine roboris, ardet.  
 Tolluntur lætæ flammæ, lateque relucet.

## A L I U D I N C I D E N S A D E U N D E M.

**A**T nemora, & liquidis manantia fontibus arva,  
 Et placidus myrteta inter, laurosque virentes  
 Vicinus nitido Benacus labitur amne.  
 At focus, & circum pueri vernæque canentes,

Dum

Dum cœna undanti coquitur silvestris aheno,  
 Grandiaque exurunt crepitantes robora flammæ,  
 Suspensæ è summis pendent laquearibus uvæ,  
 Malaque, castanæque, & passo fistula ventre.  
 Hibernâ de nocte, boum stabula alta petuntur.  
 Una omnes matresque, virique, omnisque juvenus  
 Insomnem exercent noctem :. pars pensa fatigat :  
 Pars textit teneros Amerino vimine qualos :  
 Atque anus hic aliqua interea, dum vellera carpit,  
 Et teretem tremulo propellit pollice fufum,  
 Languentes oculos fabellâ fallit inani.

## A L I U D.

**M**ANE domi validos pluvia ut conclusit agrestes,  
 Cæditur iliceo distenta sagimine porca.  
 Læta domus, tum sollicita in farcimine mater,  
 Pingue suis niveum, & dissecti frustra cerebri,  
 Et niveum lac purpureo cum sanguine miscet.  
 Tum semen marathri, atque arentis gramina thymbrae  
 Adjicit, & coli insperfo sale concava complet.

BALTHASARIS CASTILIONII  
 MANTUANI

## C L E O P A T R A.

**M**Armore quisquis in hoc sævis admorsa colubris  
 Brachia, & æternâ torpentia lumina nocte  
 Adspicis, invitam ne crede occumbere letho.

Victores

Victores vetuere diu me abrumpere vitam,  
 Regina ut veherer celebri captiva triumpho;  
 Scilicet & nuribus parerem serua Latinis,  
 Illa ego progenies tot ducta ab origine regum,  
 Quam Pharii celuit gens fortunata Canopi,  
 Deliciis fovitque suis Ægyptia tellus,  
 Atque Oriens omnis Divum dignatus honore est.  
 Sedulitas, pulchræque necis generosa cupido  
 Vicit vitæ ignominiam, insidiasque tyranni:  
 Libertas nam parta nece est, nec vincula sensi,  
 Umbraque Tartareas descendi libera ad undas.  
 Quod licuisse mihi indignatus perfidus hostis,  
 Sævitiæ insanis stimulis exarsit, & irâ;  
 Namque triumphali invecus Capitolia curru  
 Insignes inter titulos, gentesque subactas,  
 Extinctæ infelix simulacrum duxit, & amens  
 Spectaculo explevit crudelia lumina inani.  
 Neu longæva vetustas facti famam aboleret,  
 Aut feris mea fors ignota nepotibus esset,  
 Effigiem excudi spiranti è marmore iussit,  
 Testari & casus fatum miserabile nostri.  
 Quam deinde, ingenium artificis miratus Iulus  
 Egregium, celebri visendam sede locavit  
 Signa inter veterum heroum, faxoque perennes  
 Supposuit lacrimas ægræ solatia mentis:  
 Optatæ non ut deslerem gaudia mortis,  
 [Nam mihi nec lacrimas lethali vipera morfu  
 Excussit, nec mors ullum intulit ipsa timorem]  
 Sed caro ut cineri & dilecti conjugis umbræ  
 Æternas lacrimas, æterni pignus amoris,  
 Mœsta darem, inferiasque inopes, & tristia dona.  
 Has etiam tamen insensu rapuere Quirites.

At tu Magne Leo, Divûm genus, aurea sub quo  
 Sæcula, & antiquæ redierunt laudis honores,  
 Si te præsidium miseris mortalibus ipse  
 Omnipotens Pater æthereo demisit Olympo,  
 Et tua si immensæ virtuti est æqua potestas,  
 Munificâque manu dispensas dona Deorum,  
 Annue supplicibus votis, nec vana precari  
 Me sine: parva peto; lacrimas Pater optime redde,  
 Redde oro fletum, fletus mihi muneris instar,  
 Improba quando aliud nil jam Fortuna reliquit.  
 At Niobe, ausa Deos sceleratâ incessere linguâ,  
 Induerit licet in durum præcordia marmor,  
 Flet tamen, assiduusque liquor de marmore manat,  
 Vita mihi dispar; vixi sine crimine, si non  
 Crimen amare vocas: fletus solamen amantum est.  
 Adde, quòd afflictis nostræ jucunda voluptas  
 Sunt lacrimæ, dulcesque invitant murmure somnos:  
 Et cum exusta siti Icarius canis arva perurit,  
 Huc potum veniunt volucres, circumque supraque  
 Frondibus insultant; tenero tum gramine læta  
 Terra viret, rutilantque suis poma aurea ramis,  
 Hic ubi odoratum surgens densâ nemus umbrâ  
 Hesperidum dites truncos non invidet hortis.

## A L C O N.

**E** Reptum fatis primo sub flore juventæ,  
 Alconem nemorum decus, & solatia amantum,  
 Quem toties Fauni & Dryades sensere canentem,  
 Quem toties Pan est, toties miratus Apollo,  
 Flebant pastores; ante omnes carus Iolas,

Tristia

Tristia perfundens lacrimis manantibus ora,  
 Crudeles Superos, crudeliaque astra vocabat.  
 Ut gemit amissos foetus Philomela sub umbris,  
 Aut qualis fociâ viduatus compare turtur,  
 Quam procul incautam quercu speculatus ab altâ  
 Immitis calamo pastor dejecit acuto:  
 Non viridi fedit ramo, non gramine læto,  
 Non vitrei dulcem libavit fluminis undam,  
 Sed gemitu amissos tantum testatus amores,  
 Languidulus mœstis complet nemora alta querelis.  
 Nulla dies miserum lacrimis sine vidit Iolam,  
 Nec cum Sol oritur, nec cum se condit in undas:  
 Non illi pecudes, non pingues pascere tauros  
 Cura erat, aut pastos ad flumina ducere potum,  
 Hœdorumve gregem aut vitulos includere septis:  
 Tantum inter silvas, aut solo in littore secum  
 Perditus, & feræ oblitus decedere nocti,  
 Rupibus hæc frustra & surdis jactabat arenis.  
 Alcon deliciæ Musarum & Apollinis, Alcon  
 Pars animæ, cordis pars Alcon maxima nostri,  
 Et dolor, his lacrimas oculis habitare perennes,  
 Quis Deus, aut quis te casus miser abstulit? ergo  
 Optima quæque rapit duri inclementia fati?  
 Ergo bonis tantum est aliquod male numen amicum?  
 Non metit ante diem lactentes messor aristas,  
 Immatura rudis non carpit poma colonus:  
 At fera te ante diem mors nigro immerfit Averno,  
 Injecitque manus rapidas crescentibus annis.  
 Heu miserande puer! tecum solatia ruris,  
 Tecum Amor & Charites periere, & gaudia nostra.  
 Arboribus cecidere comæ, spoliataque honore est  
 Silva suo, solitasque negat pastoribus umbras.

Prata suum amifere decus, morientibus herbis  
 Arida; sunt sicci fontes, & flumina sicca:  
 Infœcunda carent promiffis frugibus arva,  
 Et mala crescentes rubigo exedit aristas.  
 Squalor tristis habet pecudes, pecudumque magistros:  
 Impastus stabulis sævit lupus, ubere raptos  
 Dilaniatque ferus miseris cum matribus agnos;  
 Perque canes prædam impavidus pastoribus aufert.  
 Nil nisi triste sonant & silvæ, & pascua, & amnes,  
 Et liquidi fontes tua tristia funera flerunt,  
 Et liquidi fontes, & silvæ, & pascua, & amnes.  
 Heu miserande puer! tangunt tua funera Divos.  
 Per nemora agricolæ flentes videre Napeas,  
 Panaque, Silvanumque, & capripedes Satyricos.  
 Sed neque jam lacrimis aut questu fata moventur  
 Impia, nec nostras audit Mors furda querelas.  
 Vomeribus succisa suis moriuntur in arvis  
 Gramina, deinde iterum viridi de cespite surgunt;  
 Rupta semel non deinde annectunt stamina Parcæ.  
 Adspice, decedens jam Sol declivis Olympo  
 Occidit, & moriens accendit sidera cœlo;  
 Sed tamen occiduo cum laverit æquore currus,  
 Idem iterum terras orienti luce reviset.  
 Ast ubi nigra semel duræ nos flumina mortis  
 Lavere, & clausa est immitis janua regni;  
 Nulla unquam ad Superos ducit via, lumina somnus  
 Urget perpetuus, tenebrisque involvit amaris:  
 Tunc lacrimæ incassum, tunc irrita vota, precesque  
 Funduntur, fert vota Notus, lacrimasque, precesque.  
 Heu miserande puer, fatis surrepte malignis!  
 Non ego te posthac pastorum adstante coronâ  
 Victorem adspiciam volucris certare sagittâ,

Aut



Aut jaculo, aut durâ socios superare palæstrâ.  
 Non tecum posthac molli resupinus in umbrâ  
 Effugiam longos æstivo tempore soles ;  
 Non tua vicinos mulcebit fistula montes,  
 Docta nec umbrosæ resonabunt carmina valles :  
 Non tua corticibus toties inscripta Lycoris,  
 Atque ignis Galatea meus, non jam simul ambos  
 Audierint ambæ nostros cantare furores.  
 Nos etenim à teneris simul usque huc viximus annis,  
 Frigora pertulimusque æstus, noctesque, diesque,  
 Communique simul sunt pasta armenta labore.  
 Rura mea hæc tecum communia : viximus unâ,  
 Te moriente igitur cur nam mihi vita relicta est ?  
 Heu male me ira Deûm patriis abduxit ab oris !  
 Ne manibus premerem morientia lumina amici,  
 Aut abeuntis adhuc supremum animæ halitum in auras  
 Exciperem ore meo, gelidis atque oscula labris.  
 Invideo, Leucippe, tibi ; suprema dolenti  
 Deficiens mandata bonus tibi præbuit Alcon,  
 Spectavitque tuos morienti lumine vultus :  
 Frigida tu mœsto imposuisti membra feretro,  
 Sparxisti & lacrimis bustum, ingratumque sepulchrum :  
 Inde ubi defletum satis est, & iusta peracta,  
 Alconem ad manes felix comes usque secutus,  
 Amisso vitam socio non passus inertem es ;  
 Et nunc Elysiâ lætus spatiaris in umbrâ,  
 Alcone & frueris dulci, æternumque frueris.  
 Atque aliquis forsan pastor pius ossa sepulchro  
 Uno eodemque simul florentis margine ripæ,  
 Amborum sacro manes veneratus honore,  
 Composuit, lacrimasque ambobus fudit easdem.  
 Ast ego nec tristes lacrimas in funere fudi,

Debita

Debita nec misero perfolvi iusta sodali.  
 Quin etiam, fortis duræ ignarusque malorum,  
 Vana mihi incassum fingebam somnia demens.  
 Hæc ego rura colam celeberrima; tum meus Alcon  
 Huc veniet linquens colles, & inhospita faxa,  
 Infectasque undas, & pabula dira veneno,  
 Molliaque inviset prata hæc, fluviosque salubres.  
 Occurram longe, & venientem primus amicum  
 Agnoscam; primus caris complexibus ora  
 Impediam; excutient hilares nova gaudia fletus,  
 Sic tandem optato læti sermone fruemur,  
 Ærumnasque graves, olim & transacta vicissim  
 Damna referre simul, rursusque audire iuvabit:  
 Tum veteres sensim fando repetemus amores,  
 Deliciasque inter pastorum, & dulcia ruris  
 Otia, securæ peragemus tempora vitæ.  
 Hæc amat arva Ceres, juga Bacchus, pascua Apollo;  
 Ipsa Pales herbas pecori, lac sufficit agnis.  
 Montibus his passim teneræ assuevere Napeæ  
 Sæpe feras agitare, & sæpe agitare choreas.  
 Hic redolens sacros primævæ gentis honores  
 Perluit antiquas Tiberis decora alta ruinas.  
 Hic umbræ nemorum, hic fontes, hic frigida Tempe,  
 Formosum hic pastor Corydon cantavit Alexin.  
 Ergo ades, ô dilecte puer: te pascua & amnes  
 Expectant, tibi jam contextunt florea ferta,  
 Adventuque tuo testantur gaudia Nymphæ,  
 Summittitque novos tellus tibi dædala flores.  
 Hæc ego fingebam miser ab spe ductus inani, ah  
 Nescius omne nefas morti fatisque licere.  
 At postquam frustrata leves abiere per auras  
 Vota mea, & vivos Alconis cernere vultus

## 242. BALTH. CASTILIONII

Non licuit, vivasque audire & reddere voces,  
 Huc saltem, ô saltem umbra levi per inania lapsu  
 Advolet, & nostros tandem miserata dolores  
 Accipiat lacrimas, imo & suspiria corde  
 Eruta, quasque cava hæc resonant antra querelas.  
 Ipse meis manibus ripâ hæc Anienis inapem  
 Constituam tumulum, nostri solatia luctus,  
 Atque addam pia thura focus, manesque ciebo,  
 Vos mecum ô pueri beneolentes spargite flores,  
 Narcissum, atque rosas, & suave rubentem hyacinthum,  
 Atque umbras hederâ lauroque inducite opacas.  
 Nec desint casæ, permixtaque cinnama amomo,  
 Excitet ut dulces aspirans ventus odores.  
 Nos Alcon dilexit multum, & dignus amari  
 Ipse fuit nobis, & tali dignus honore.  
 Interea violas intertextent amarantthis,  
 Et tumulo spargent flores & ferta Napææ:  
 Et tumulo mœstæ inscribent miserabile carmen;  
 Alconem postquam rapuerunt impia fata,  
 Collacrimant duri montes, & confitus atrâ est  
 Nocte dies; sunt candida nigra, & dulcia amara.

## PROSOPOPOEIA

### LUDOV. PICI MIRANDULANI.

**C**Redite mortales, animæ post fata superfunt,  
 Diraque mors nostri nil nisi corpus habet.  
 Fabula nec manes vana est exire sepulchris  
 Per noctem, tenebris & volitare vagos.  
 Nam modo, dum nostro Mirandula milite cincta est,  
 Vidi ego vera quidem, sed caritura fide.

Nox

Nox erat, & noctem superans candore nivali  
 Clara repercusso lumine Luna magis.  
 Ipse ego sub muris fossâ defensus opacâ  
 Scrutabar, tutum qua magis esset iter :  
 Adstitit hic subito manifestus mœnibus ipsis  
 Ante oculos Picus visus adesse meos.  
 Tristis erat facies, atroque inspersa cruore,  
 Et lacerum ambusto tunc quoque crine caput.  
 Obstupui, gelidusque tremor per membra cucurrit,  
 Et subito arrepta est hirta timore coma.  
 Ille autem torvum despectans castra repente  
 Infremuit, gemitu solvit & ora gravi.  
 O Pater, ô pastor populorum, ô maxime mundi  
 Arbiter, humanum qui genus omne regis,  
 Justitiæ pacisque dator, placidæque quietis,  
 Credita cui soli est vita salutisque hominum,  
 Quem Deus ipse Erebi fecit Coelique potentem,  
 Ut nutu pateant utraque regna tuo,  
 Quid potui tantum infelix committere? culpa  
 Aut mea quæ nam in te tam gravis esse potest?  
 Ut patriam, natumque meum, uxoremque, laresque,  
 Perdere, & excidio vertere cuncta velis?  
 Certe ego te propter caput objectare periclis,  
 Nec timui toties velle subire necem.  
 Felsina cum imperium jam detrectaret, & in te  
 Tristia civilis sumeret arma furor,  
 Hæc mea dextra tuos armis compescuit hostes,  
 Et letho multos sanguinolenta dedit.  
 Denique, dum innumeris cupio te ornare triumphis,  
 Sanguinis ipse mei prodigus occubui.  
 Vulnera testantur nostros hæc sæva labores,  
 Implorantque tuam, nomen inano, fidem.

Flens tener in cunis vagitu natus amaro

Pollicitis queritur pondus abesse tuis.

Tot perpeffa graves conjux miseranda labores

Supplicibus veniam mœsta petit lacrimis.

Stant miseri squalore patres, trepidæque puellæ,

Et matrum passis flet pia turba comis.

Omnes in te animum jam convertère, rogantque

Ut tua det fessis dextera rebus opem.

Adspice captivis vacuos cultoribus agros,

Abductas pecudes, agricolasque boves,

Disjectasque domos passim, populataque raptis

Arboribus latè, & frugibus arva suis.

Tu vero ulterius lacrimis dulcissima conjux

Et gemitu manes lædere parce meos :

Postquam nulla potest mitis clementia diræ

Consilium mentis flectere, nec pietas ;

Effuge, quodque unum est nostri tibi pignus amoris,

Dulce onus hinc ulnis fer puerum ipsa tuis.

Nec mea discedens saxo hic clausa ossa relinque

Condita ; sed caro tecum habeas gremio,

Ne rabie immani tumulo sint eruta avito,

Et jaceant mediâ semisepulta viâ.

Hæc speranda mihi, postquam sectatur & umbram,

Sævit & in cineres mens male grata meos,

Nec finit inferias nostro te ferre sepulchro,

Annuaque extincto reddere justa viro.

Sed tamen & Superi cernunt mortalia, habetque

Justitiæ ultorem dextra minax gladium.

Inque malos, sit lenta licet, certa ira Deorum est,

Pœnaque tam gravior, quam mage sera venit.

Nec longum nostro lætabitur impius hostis

Sanguine : fata illum non leviora manent.

Hæc

Hæc ille, & plura his, sed verba extrema loquentis  
 Terribilis nostro rupit in ore sonus.  
 Nam subito ingenti tormenta impulsa ruinâ  
 Increpuere; gravi terra tremit sonitu.  
 Fulminei ingeminant ictus, volat impete diro  
 Ferrea sulphureo concita ab igne pila.  
 Mœnia tum nutant labefacta; at tristis imago  
 In tenebras querulo mœsta abiit gemitu.

D E E L I S A B E L L A G O N Z A G A  
 C A N E N T E.

*D*ulces exuviam, dum fata Deusque sinebant,  
 Dum canit, & querulum pollice tangit ebur,  
 Formosa è coelo deducit Eliza Tonantem,  
 Et trahit immites ad pia verba feras;  
 Auritæ veniunt ad dulcia carmina silvæ,  
 Decurrunt altis undique saxa jugis;  
 Stant sine murmure aquæ, taciti sine flamine venti,  
 Et cohibent cursus sidera prona suos.  
 Atque aliquis tali captus dulcedine sentit  
 Elabi ex imo pectore sensim animam.  
 Flebile nescio quid tacite in præcordia serpit,  
 Cogit & invitos illacrimare oculos:  
 Flecte ratem male grate hospes, neu desere amantem,  
 Ah misera, ah mors est jam prope, flecte ratem!  
 Quòd si tam dulces nequeunt fera corda querelæ  
 Flectere, nec gemitu hoc mens labefacta tua est,  
 Non tibi Diva parens, generis nec Dardanus auctor,  
 Perfide, sed duris cautibus es genitus.  
 Surdior ah scopulis dulces fugis, improbe, terras,  
 Deliciisque olim littora chara tuis.

246 BALTH. CASTILIONII

Illa autem extremo tandem devicta dolore,  
 Irrita nil postquam verba precesque valent,  
 Sanguine sancta suo temerati jura pudoris  
 Ultra est, ipsa suæ sæva ministra necis,  
 Quemque torum toties tecum male prefferat olim,  
 Infelix etiam nunc premit exanimis.  
 Respice, funereæ sunt illa incendia flammæ,  
 Et miseranda illis ardet Elisa rogis;  
 Ardet Elisa, tuum sæve indelebile crimen,  
 Olim quod terris fama loquatur anus.  
 At tua præcipites fugientia carbasa venti  
 Cæruleum profugâ per mare classe ferunt.  
 Obrue devotam, pater ô Neptune, carinam,  
 Ah nimis infidum sustinet illa caput!  
 Illa virum portat, quem non perjuria tangunt,  
 Quem non sancta fides, fasve, piæve movet;  
 Quem neque dulcis amor miseræ morientis Elisæ  
 Flectere, nec lacrimæ, nec potuere preces.  
 Ah ferus est, quicumque animo non mitis aggressi  
 Audiit & siccis hæc pia verba oculis!  
 Quòd tamen hæc moveant, quòd sint tam dulcia verba,  
 Non faciunt verba hæc, sed nova Elisa canens.  
 Et certe non est hæc uxor Elisa Sichæi,  
 Nec quemquam hæc Phrygium novit Elisa virum.  
 Altera Elisa hæc est, Superis gratissima, qualem  
 Nec tulit ulla unquam, nec feret ulla dies.  
 Audiat Æneas hanc si tam dulce querentem,  
 Flens ultro ad littus vela dabit Lybicum.  
 Quòd si dura nimis, blandisque immota querelis  
 Mens fera propositum non remoretur iter,  
 Invitam ad littus portabunt æquora classem,  
 Flaminaque ad fletus officiosa pios;

Excidet atque animo regnum dotale, nec unquam  
 Dardanius Latium navita classe petet.  
 Nam nimium validas facies habet ista catenas,  
 Et validum nimis hæc lumina carcer habent: *calcian*  
 Hæc formosa Deas superat formâ Heroine,  
 Pace tuâ Venus ô, pace Minerva tuâ.  
 Quidquid agit, pariter certant componere furtim  
 Et decor, & Charites, & pudor ingenuus.  
 His lætos Natura oculis afflavit honores,  
 Et quiddam majus conditione hominum.  
 Ambrosiam rosâ spirant cervice capilli,  
 Et patet egregio vera decore Dea.  
 Quacunq; ingreditur, læta undique pabula vernant,  
 Signaque dat tellus numen adesse aliquod.  
 Arrident silvæ passim, tangique beato  
 Certatim gestit quælibet herba pede.  
 O centum æquoræ formosâ Doride natæ,  
 Et quascunq; maris contigit esse Deas,  
 Huic date quidquid habent gemmarum littora rubra  
 Oceani, & quidquid dives arena vehit:  
 Quosque habet alma Thetis, quos & Galatea lapillos,  
 Nerine in oculis candida nympha suis.  
 Quidquid odoratæ messis Panchaia tellus  
 Protulit, huic felix munera portet Arabs.  
 Huic uni Seres Tyrio fatianda colore  
 Arboribus pectant vellera cara suis.  
 Hæc una est nostri rarissima gloria sæcli,  
 Digna suas cui det maximus orbis opes.  
 Vos quoque cœlicolæ hanc merito celebretis honore,  
 Non erit hæc vobis dissimulanda Dea.



HIPPOLYTE  
 BALTHASARI CASTILIONI  
 CONIUGI

**H**ippolyte mittit mandata hæc Castilioni,  
 Addideram imprudens, hei mihi, pæne suo  
 Te tua Roma tenet, mihi quam narrare solebas,  
 Unam delicias esse hominum atque Deum :  
 Hoc quoque nunc major, quod Magno est aucta Leone  
 Tam bene pacati qui imperium orbis habet.  
 Hic tibi nec desunt celeberrima turba sodales,  
 Apti oculos etiam multa tenere tuos.  
 Nam modo tot priscae spectas miracula gentis,  
 Heroum & titulis clara trophæa suis :  
 Nunc Vaticani surgentia marmore templa,  
 Et quæ porticibus aurea tecta nitent :  
 Irriguos fontes, hortosque, & amœna vireta,  
 Plurima quæ umbroso margine Tibris habet.  
 Utque ferunt, cœtu convivia læta frequenti  
 Et celebras lentis otia mista jocis :  
 Aut citharâ æstivum attenuas cantuque calorem.  
 Hei mihi, quam dispar nunc mea vita tuæ est !  
 Nec mihi displiceant quæ sunt tibi grata, sed ipsa est  
 Te sine lux oculis pæne inimica meis.  
 Non auro aut gemmâ caput exornare nitenti  
 Me juvat, aut Arabo spargere odore comas :  
 Non celebres ludos festis spectare diebus,  
 Cum populi complet densa corona forum,  
 Et ferus in mediâ exultat gladiator arenâ,  
 Hastâ concurrat vel cataphractus eques.

Sola

Sola tuos vultus referens, Raphaëlis imago  
 Picta manu, curas allevat usque meas.  
 Huic ego delicias facio, arrideoque jocosque,  
 Alloquor, & tanquam reddere verba queat,  
 Assensu nutuque mihi sæpe illa videtur  
 Dicere velle aliquid, & tua verba loqui.  
 Agnoscit, balboque patrem puer ore salutat:  
 Hoc solor longos decipioque dies.  
 At quicumque istinc ad nos accesserit hospes,  
 Hunc ego quid dicas, quid faciasve, rogo.  
 Cuncta mihi de te incutiunt audita timorem:  
 Vano etiam absentes sæpe timore pavent.  
 Sed mihi nescio quis narravit sæpe tumultus,  
 Misericque neces per fora, perque vias,  
 Cum populi pars hæc Ursum, pars illa Columnam  
 Invocat, & trepidâ corripit arma manu,  
 Ne tu, ne quæso tantis te immitte periclis;  
 Sat tibi sit tuto posse redire domum.  
 Romæ etiam fama est cultas habitare puellas,  
 Sed quæ lascivo turpiter igne calent.  
 Illis venalis forma est, corpusque, pudorque;  
 His tu blanditiis ne capiare, cave.  
 Sed nisi jam captum blanda hæc te vincla tenerent,  
 Tam longas absens non paterere moras.  
 Nam memini, cum te vivum jurare solebas  
 Non me, si cupias, posse carere diu.  
 Vivis, Castilion, vivasque beatius, opto,  
 Nec tibi jam durum est me caruisse diu.  
 Cur tua mutata est igitur mens? cur prior ille,  
 Ille tuo nostri corde refrixit amor?  
 Cur tibi nunc videor vilis, nec, ut ante solebam,  
 Digna tori sociam quam patiare tui?

Scilicet in ventós promissa abiere, fidesque,

A nostris simulac vestri abiere oculi.

Et tibi nunc forsán fubeunt fastidia nostri,

Et grave jam Hippolytes nomen in aure tuá est.

Verum ut me fugias, patriam fugis improbe? nec te

Cara parens, nati nec pia cura tenet?

Quid queror? en tua scribenti mihi epistola venit,

Grata quidem, dictis si modo certa fides;

Te nostri desiderio languere, pedemque

Quamprimum ad patrios velle referre lares,

Torquerique morá, sed Magni iussa Leonis

Jamdudum reditus detinuisse tuos.

His ego perlectis sic ad tua verba revixi,

Surgere ut æstivis imbribus herba solet.

Quæ licet ex toto non ausim vera fateri,

Qualiacunque tamen, credulitate juvant.

Credam ego, quod fieri cupio, votisque favebo

Ipsa meis: vera hæc quis vetet esse tamen?

Nec tibi sunt præcordia ferrea, nec tibi dura

Ubera in Alpinis cautibus ursa dedit.

Nec culpanda tua est mora: nam præcepta Deorum

Non fas, nec tutum est spernere velle homini.

Esse tamen fertur clementia tanta Leonis,

Ut facili humanas audiat aure preces.

Tu modo & illius Numen veneratus adora,

Pronaque sacratis oscula da pedibus:

Cumque tua attuleris supplex vota, adjice nostra,

Atque meo largas nomine funde preces.

Aut jubeat te jam properare ad mœnia Mantús,

Aut me Romanas tecum habitare domos.

Namque ego sum sine te, veluti spoliata magistro

Cymba, procellosi quam rapit unda maris.

Et

Et data cum tibi sim utroque orba puella parente,  
 Solus tu mihi vir, solus uterque parens.  
 Nunc nimis ingrata est vita hæc mihi; namque ego tantum  
 Tecum vivere amem, tecum obeamque libens.  
 Præstabit veniam mitis Deus ille roganti,  
 Auspiciisque bonis, & bene, dicet, eas.  
 Ocyus huc celeres mantos conscende viator,  
 Atque moras omnes rumpe, viamque vora.  
 Te læta excipiet, festisque ornata coronis,  
 Et domini adventum sentiet ipsa domus.  
 Vota ego persolvam templo, inscribamque tabellæ;  
 Hippolyte salvi conjugis ob reditum.

## D E P A U L O C A N E N T E.

**D**Ulcia dum pulcher modulatur carmina Paulus,  
 Demulcet colles &, mea Roma, tuos,  
 Adcurrere simul Dryades, Faunisque bicornes,  
 Ora immota truces & tenere feræ.  
 Tibris arundineo glaucum caput extulit alveo,  
 Et stupefacta novo restitit unda sono.  
 Tum vocem, numerumque, inquit, miratus Apollo:  
 Orpheus Elysiâ valle meus rediit.  
 Sed faciem ut vidit pueri, sacrumque decorem,  
 Certe, ait, hic proles est, Cytherea, tua.  
 Sæve puer, tentas me vincere voce lyraque:  
 An vicisse arcu est gloria visa levis?

H I E R.

## HIER. AMALTHEI.

## AD HYELLAM.

**A**NXIA quid nitidos fletu corrumpis ocellos,  
 Et Pandioniam perdita quæris avem?  
 Non dominam effugit; nemorum colit illa recessus,  
 Dum volucres doceat nomen, Hyella, tuum.

## DE HOROLOGIO PULVUREO.

**P**erspicius vitro pulvis qui dividit horas,  
 Dum vagus angustum sæpe recurrit iter,  
 Olim erat Alcippus; qui Gallæ ut vidit ocellos  
 Arsit, & est subito factus ab igne cinis.  
 Irrequiete cinis, miseros testabere amantes,  
 More tuo, nullâ posse quiete frui.

## AD JUNONEM.

**M**AGNA Jovis conjux, ripis si forte sub altis  
 Seu Naucele tuis, sive Timave tuis,  
 Vidëris errantem niveo candore juvencam,  
 Parce; sub hâc tegitur nulla puella bove.

## DE ACONE ET LEONILLA.

**L**umine Acon dextro, capta est Leonilla sinistro;  
 Et potis est formâ vincere uterque Deos.  
 Blande puer lumen, quod habes, concede forori:  
 Sic tu cæcus Amor, sic erit illa Venus.

F I N I S.



Princeton University Library



32101 066877232





